DE MEGASTHENE

RERUM INDICARUM SCRIPTORE.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVI. M. FEBRUARII

PUBLICE DEFENDET

Eugen Alexis

EUGENIUS ALEXIS SCHWANBECK

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

R. ARNDT, PHIL. STUD.
CH. HAMMERSTEIN, SEM. PHIL. NUPER SOD. SENIOR.
N. ROSENSTEIN, PHIL. STUD.

BONNAE,
LITTERIS F. P. LECHNERI
MDCCCXXXXV.

DE MEGASTHENE

RERUM INDICARUM SCRIPTORE.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVI. M. FEBRUARII

PUBLICE DEFENDET

Eugen Alexis
EUGENIUS ALEXIS SCHWANBECK

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

R. ARNDT, PHIL. STUD.
CH. HAMMERSTEIN, SEM. PHIL. NUPER SOD. SENIOR.
N. ROSENSTEIN, PHIL. STUD.

BONNAE,
LITTERIS F. P. LECHNERI
MDCCCXXXXV.

I. De cognitione Indiae,

qualis ante Megasthenem apud Graecos fuerit.

Terrarum cognitio ea, quam Graecos circa Olympiadum initium fuisse consecutos maxime ex coloniarum historia intelligimus, longe diversa ab illa est, quam inspicientibus epica carmina videntur habuisse. Nam epici poëtae quum res gestas hominum, tum loca, in quibus gestae sunt res, ad pulchri sensum quasi per ludum accommodant; quo fit, ut alias res cum falso quodam colore describant, confingant alias, imo alias aetati non ignotas taceant, quum fabulas usu receptas ne attingant quidem. Itaque etiamsi Homerico tempore Indiam non ignorassent Graeci, tamen dubium esset, num epici poëtae eam memorassent, vel ex tota, quam haberent, notitia descripsissent: quam quidem leviter tantum et obscure Homerus indicat his verbis Od. I. 23—24:

Αἰθίοπες, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος [1]).

Ipsum nomen post plura demum saecula nuncupatur.

---

1) Quae explicatio saepius prolata, licet certa non sit, tamen prae ceteris, quas VV. DD. proposuerunt, maxime placet. Nam Graecos aliqua fuisse sed ea obscura Indiae notitia imbutos, omnino mirum non est, quum merces Indicas Indicis nominibus appellatas (*κασσίτερος, ἐλέφας*) communi Homericae aetatis in usu fuisse videamus. Neque in Aethiopum nomine est quod miremur: quo non Arios Indos, sed Aborigines illos Afris similes poëta signi-

Verum enim vero circa olympiadem L. et LX. Graecorum studia litteraeque omnino immutantur. Defloruit epica poësis. Vera rerum natura, quae poëtis non insciis adeo

---

ficat, quorum sedes multo latius quam postea Homerico tempore patuisse non difficile est arbitratu. Ipsae Indorum litterae aetate multo inferiore fabulis abundant, quibus Aborigines genere discrepantes et odiosi Indis describantur. Fieri aliter vix potuit, quam ut prae ceteris fabulae illae ad terras occidentales transferrentur: id quod maxime eo fit probabile, quod etiam ii, qui Indicas res primi tractaverunt, Scylax, Hecataeus, Herodotus, Ctesias, id maxime agunt, ut fabulosas illas gentes describant, et quod tum has, tum Indos in universum appellant Aethiopes. Herodotus, quasi Homerum tecte significet, *Αἰθίοπας ἀπ' ἡλίου ἀνατολέων* Indis finitimos esse dicit (VII. 70.), et ipsis Indis praeter Daradas omnibus nigrum colorem attribuit (*τὸ χρῶμα φορέουσι ὁμοῖον πάντες καὶ παραπλήσιον Αἰθίοψι* III. 101.); idem tamen Aethiopes et Indos primus accuratius distinxit. Sed etiam apud Ctesiam multi reperiuntur loci, quibus Indos Aethiopum nomine appellavit, quod igitur nomen in universum Photius videtur delevisse. Neque ante Alexandri tempus accurate distinguuntur nomina, quo nimirum latere Graecos iam non potuit Indorum atque Afrorum diversitas: ab hoc tempore Africae genti nomen Aethiopum ut proprium manet. Sed mira quaedam confusio pristino ex usu orta est: eas enim res Indicas, quas antea Aethiopicas scriptores appellaverant, ad Aethiopiam referre geographi solent, ut etiam gentes multas duplicatas videamus, alteram in India, alteram in Aethiopia habitantem, et ut ipsa nomina Indica in Aethiopia inveniamus. Exempla quaedam adiungamus: Ctesias martichoram Indicam memoraverat, et quod addidit *ἑλληνιστὶ δὲ ἀνθρωποφάγον* documento est, nomen aut Indicum aut Persicum esse (Ind. 7. cf. Bähr. p. 354.); Plinius, dum Aethiopiam describit, ibi esse martichoram dicit, ad ipsum Ctesiam auctorem provocans (h. n. VIII. 30. 3.), in qua re vix potest dubitari, quin voce Aethiopiae de India Ctesias usus sit. Scylax in descriptione Indiae (ap. Philostr. v. Apoll. III. 14, Tzetz. Chil. VII. 144. seq.) de Sciapodum fabulosa gente scripserat, quam ab Hecataeo (265. Klaus.) *ἔθνος Αἰθιοπικὸν* vocari videmus, quo nomine is, qui Scylacis auctoritatem sequi solet, vix aliud atque *ἔθνος Ἰνδικὸν* significare voluit. Neque Ctesias (Plin. h. n. VII. 2. 16.) gentem illam in India esse ignorat, sed Antipho Libycam eam appellat, dum ad ipsum Ctesiam provocat (*Κτησίας ἐν τῷ περίπλῳ Ἀσίας*, Suid. Harpocrat. s. v. *Σκιάποδες*), et scho-

ludibrio fuerat, graviter et diligenter exquiri coepit. Sed dum poësis studium scriptores relinquunt, res ab antiquis poëtis fictas credere non desinunt, quo factum est, ut

---

liasta ad Aristoph. av. 1552 etiam *γένος δὲ*, inquit, *ἔστι τῶν περὶ τὸν δυτικὸν ὠκεανὸν πρὸς τῇ κεκαυμένῃ ζώνῃ*, deinde qui Libyam descripserunt, inter Libycas gentes eam enumerant, quum alii rursus in India eam esse noverint. Cf. Eudox. ap. Plin. h. n. VII. 2. 17. Cuius ipsius et aliarum fabularum originem ne coniiciamus duplicem esse, ipsa mira fabulae ratio nos prohibet. Tum Ctesiae quaedam narratio exstat (Ind. 14.), qua fabulosum Indiae fontem descripsit, quem alii scriptores esse in Aethiopia ipsius Ctesiae auctoritate firmare student. Cf. Bähr. ad Ctes. p. 309. Ctesias de Cynamolgis Indicis dixit, ipsum nomen Indicum esse affirmans (*ἐν λόγοις Ἰνδικοῖς* Aelian. h. a. XVI. 31., Pollux onomast. V. 5. 41.), Agatharchides (de rubro mari p. 44. Huds.) hunc Ctesiae locum ad verbum paene exscripsit, sed Cynamolgos inter Aethiopicas gentes collocavit, neque aliter Diodorus III. 31. Quo tamen loco Agatharchides non Ctesiam, sed Hecataeum fortasse secutus est, quem orientales terras accuratissime descripsisse opinatur. Varias deinde fabulas de crocotta fictas iisdem fere verbis repetere solent et qui Aethiopiam et qui Indiam tractaverunt: tamen sicut fabulae ita etiam nomen ab Indis originem habet, quum in sanscrita voce *carataca* (i. e. canis aureus) litteras T et K inverso ordine collocaverint Graeci, ut nomen ad similitudinem vocum *κροκόδειλος* aliarumque reddant.

Deinde facillimum erat, res Indicas et veras et fabulosas sicut in Aethiopiam, ita etiam in Libyam referre, quoniam Libya erat vera et germana hominum fuscorum sive Aethiopum sedes. Prima est ea descriptio Libyae, quae apud Herodotum IV. 168—199. legitur, qua miro modo res Africae et Indicae permiscentur, ut interdum altera pars ab altera non sine magna difficultate internoscatur. Exempli gratia ad Indicas res pertinet hic locus c. 192: *ἔλαφος δὲ καὶ ὗς ἄγριος ἐν Λιβύῃ πάμπαν οὐκ ἔστι*, cf. Ctes. Ind. 13. cum annot. Bährii. Deinde Herodotus transit ad commemorandas tres species murium Libycorum, quarum alteram describit his verbis: *οἱ δὲ ζεγέριες· τὸ δὲ οὔνομα τοῦτό ἐστι μὲν Λιβυκὸν, δύναται δὲ κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν βουνοί*. Cf. Hesych. s. v. *ζεγέριες*. Mire profecto voce *ζέγερις* pseudo-Libyca res tam diversae significantur, et *μῦς* et *βουνός*, et vix potest cogitari, idem miraculum in duabus linguis inveniri. Attamen sanscrito vocabulo *giri* masculino significatur *ὄρος*, *βουνός*, feminino *μῦς*; et ipsum vocabulum *giri* (no-

auctoritati superioris temporis utpote rebus fictis maxime dediti obnoxii manerent, neque iniuria mythographi vocarentur. Attamen, etsi iudicium et critica ars in primis

---

minat. *giris*) in voce Herodoteo *ζέ-γερις* facile recognoscitur, quum syllaba *ZE* inter similes syllabas *ΔE* et *ΓE* facile potuerit per errorem subiici. Cf. cap. 191, quo legere Indiae descriptionem tibi videris et quo singularia Indica monstra enarrantur: *καὶ γὰρ οἱ ὄφιες οἱ ὑπερμεγάθεες καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσί, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε καὶ ἄρκτοι και ἀσπίδες τε καὶ ὄνοι οἱ τὰ κέρεα ἔχοντες· καὶ οἱ κυνοκέφαλοι καὶ οἱ ἀκέφαλοι οἱ ἐν τοῖσι στήθεσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες, ὡς δὴ λέγονταί γε ὑπὸ Λιβύων, καὶ οἱ ἄγριοι ἄνδρες, καὶ γυναῖκες ἄγριαι, καὶ ἄλλα πλήθεϊ πολλὰ θηρία κατάψευστα.*

Eadem rerum Indicarum et Libycarum confusio, cuius auctores fuisse Phoenices et Aegyptii videntur, in quacunque posteriore Libyae descriptione conspicitur: eademque omnes fere Libyae regiones tetigit praeter optime cognitas, quae prae ceteris erant Aegyptus atque Carthago. Quam confusionem ipsi veteres iam studuerunt explicare, sed satis male; Strabo enim narrat T. III. p. 483. Tauchn.: *τοὺς δὲ Μαυρουσίους ἔνιοί φασιν Ἰνδοὺς εἶναι*

Praeter eas gentes quas enumeravimus, in India aeque esse atque in Aethiopia vel Libya dicuntur Pygmaei, Psylli, Himantopodes, Sternophthalmi, Macrobii Macrocephali aliique. Imo ipsae merces Indiae fructusque eodem modo Aethiopiae adscribuntur ex. c. cinnamomum.

Interdum Africis gentibus politior quaedam humanitas et magnificentiae studium attribuitur, qualis descriptio in Afros minime, optime in Indos convenit. Ut unum afferam exemplum, Scylax (peripl. p. 54. Huds.) Libyas trans Herculis columnas habitantes in hunc modum describit: *Οἱ Αἰθίοπες χρῶνται κοσμοστίκτοις καὶ ἐκπώμασι τοῦ ἐλέφαντος φιάλαις· καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν χρῶνται κοσμοστίκτοις καὶ ἐκπώμασι τοῦ ἐλέφαντος φιάλαις· καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν χρῶνται κόσμῳ ψελίοις τοῦ ἐλέφαντος· χρῶνται δε καὶ πρός τοὺς ἵππους ἐλεφαντίνῳ κόσμῳ. — — Εἰσὶ δέ τινες αὐτῶν καὶ πενταπήχεις, καὶ πωγωνοφόροι εἰσὶ, καὶ κομῆται καὶ κάλλιστοι πάντων ἀνθρώπων οὗτοί εἰσι· καὶ βασιλεύει αὐτῶν οὗτος, ὃς ἂν ᾖ μέγιστος. Εἰσὶ καὶ ἱππηλάται καὶ ἀκοντισταί* etc. Cuius narrationis singulas quasque partes ceteri scriptores rerum Indicarum repetunt. Hanc rem peripli auctor loco mutato nescio an sumserit ex antiquiore illo Scylace, qui apud Aristotelem Polit. VII. 14. similia narrat. Quam confuse expeditionis initio Macedones de India et de Aethiopia iudicaverint, praeter alia ex Alexandri opinione videmus, qui Nili fontes in India se invenisse putaret. Strab. 696, Arr. exp. Alex. VI. 1.

elementis haeret, multo progressum est studium. Prima philosophia progreditur, philosophiam geographia, historia geographiam sequitur. Geographus primus praecipue est philosophus, et qui primus inter historicos memoratu est dignus, praecipue geographus.

Geographorum princeps est Anaximander Milesius, qui totum orbem terrarum primus tabula geographica descripsit [2]. India utrum in ea iam consignata fuerit necne, in medio relinquitur: certa enim testimonia desunt, neque ex eo, quod brevi postea Hecataeum et Herodotum Indiae gnaros videmus, quidquam licet coniicere, quum utrique Scylax videatur auctor fuisse.

Olympiade enim LX Darius Hystaspis *Scylacem Caryandensem* miserat cum comitibus, qui Indi cursum explorarent. De quo itinere Herodotus IV. 44. *οἱ δέ*, inquit, *ὁρμηθέντες ἐκ Κασπατύρου τε πόλιος καὶ τῆς Πακτυϊκῆς γῆς, ἔπλεον κατὰ ποταμὸν πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς ἐς θάλασσαν· διὰ θαλάσσης δὲ πρὸς ἑσπέρην πλέοντες, τριηκοστῷ μηνὶ ἀπικνέονται ἐς τοῦτον τὸν χῶρον, ὅθεν ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς τοὺς Φοίνικας, τοὺς πρότερον εἶπα, ἀπέστειλε περιπλώειν Λιβύην.* Scylacem de hoc itinere librum conscripsisse, ex eo apparet, quod complures eius loci afferuntur [3], et quod a Stephano Byzant. (s. v. *Καρύανδα*)

Tota haec res, quam exposuimus, quum adhuc sit neglecta, effecit, ut qui de antiqua Africae geographia scripserunt, ad unum omnes omnia confuderint, et ut haec geographiae pars de integro retractanda sit.

Orientalium Aethiopum notitia in pristinam terrarum cognitionem apud Homerum ita recepta est, ut ad orientales etiam occidentales Aethiopes affingerentur (Il. XXIII. 205.), colorisque nigri origo a propinquitate et calore solis orientis et occidentis duceretur.

2) Agathem. I. 1: *Ἀναξίμανδρος πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι.* Cf. Strab. 7, Diog. Laert. II. 1. 8, Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 73, 317. Bernh.

3) Aristot. polit. VII. 14, Athen. II. p. 70, Harpocrat. et Suid. s. v. *ὑπὸ γῆς οἰκοῦντες*, Philostr. v. Apoll. III. 14, Tzetz. Chil. VII. 629. seq. Neque id quod Aelius Dionysius refert: *Δαρείῳ προσεφώνησε Σκύλαξ τὸ φρόντισμα* (cf. Anonym. vit. Scylacis), licet sit falsum, ad alium atque ad antiquiorem Scylacem spectare potest.

DE MEGASTHENE
RERUM INDICARUM SCRIPTORE.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA LEGITIME IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVI. M. FEBRUARII

PUBLICE DEFENDET

Eugen. Alexis

EUGENIUS ALEXIS SCHWANBECK

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

B. ARNDT, PHIL. STUD.
CH. HAMMERSTEIN, SEM. PHIL. NUPER SOD. SENIOR.
N. ROSENSTEIN, PHIL. STUD.

BONNAE,
LITTERIS F. P. LECHNERI
MDCCCXXXXV.

referunt, quod ex Indis audiverunt, sano tamen in hac re iudicio carent. Idem tum factum est, quod fieri solet, quum subito terrarum notitia in immensum augetur. Alexandri enim comites tantum fere, quantum antea per saecula Graeci, aut novum invenerant, aut obscurum primi accuratius exploraverant: ita id quod antea in animis Graecorum interfuerat inter verum et falsum, inter credibiles res et fidem excedentes, quasi corruit: multas enim res praecipue in India ipsis oculis viderant, quas Graeci in patria relicti incredibiles et saeculis postea critici mera mendacia esse existimabant. Et quum tantam molem rerum inventarum viri docti statim scientia metiri et examinare non possent, neque ad certas leges revocare, norma quaedam deesse incepit, ad quam verum et fictum posset internosci. Ita factum est, ut nimis faciles essent ad credendum id quod Indi vaga cogitatione sibi finxerant: qua credulitate ad prima criticae artis initia revertuntur. Accessit, ut plures ex militaribus illis scriptoribus quum eruditionis expertes et ignari essent, etiam magis iudicio carerent. Neque prior illa causa credulitatis Alexandri solum scriptoribus, sed etiam Megasthenі contigit, qui tamen non carebat eruditione et doctrina.

Nemo ignorat, periisse libros Baetonis, Diogneti, Nearchi, Onesicriti, Aristobuli, Clitarchi, Androsthenis ceterorumque Alexandri comitum omnium, qui de Alexandro vel de India scripserunt: attamen tantum superest, ut concludere possimus, ad veritatem eos retulisse non solum quae ipsi viderunt, sed etiam quae auditu cognoverunt, i. e. non nimium eos narrasse. Alia est quaestio, num satis retulerint, ut sufficiat Indicae terrae gentisque descriptio. Quod quantum de hac re potest iudicari, negandum est. Nam etsi topographiam non sine diligentia quadam exposuerunt, quia prae ceteris locos cognoscere erat militum, tamen levius eas res, quae ad naturalem historiam pertinent, ipsam gentem levissime tractaverunt. Facilitas quaedam mentem moresque alienae gentis explorandi et cogitatione

assequendi, quae Graecis omnino deest, maxime apud illos scriptores desideratur. Quorum ex libris intelligimus, armorum strepitum iis obtudisse observandi aciem et quietem et constantiam: qua re factum est, ut eas tantum res animadverterent, quae a moribus Graecis maxime abhorrebant, et quae maxime mirae erant. Ne gravissimas quidem res, quae ceteris omnibus quasi fundamento sunt, deorum cultum et tribuum institutionem perspexerunt, alterum enim perperam perceperunt, alteram etsi in parte quadam terrae ad Indum sitae valebat, omnino neglexerunt. Ita illi scriptores, sicut ipse Alexander Indiam attigit potius, quam perlustravit, non absolverunt Indiae notitiam, sed solum inchoarunt, quum Indiae solam partem ex parte tantum describerent.

Tantam talemque Indiae cognitionem ante Megasthenem Graeci consecuti erant.

II. De Megasthene.[5])

1. De Indico Megasthenis itinere.

Alexandri mortem quum in Persicis terris tum in India omnium rerum mutatio secuta erat. In India enim

5) De Megasthene in universum scripserunt:

G. I. Vossius, de historicis graecis. Lugd. Bat. 1651. p. 69 — 70, Lips. 1838. p. 104—105.

Fabricius: biblioth. graec. Ed. IV. 1793. T. III. p. 45.

Heeren; de Graecorum de India notitia. Comment. Goetting. X. 1791. p. 140—141.

Robertson: an historical inquisition concerning the knowledge which the ancients had of India. Basil. 1792. p. 32 — 35, vers. germ. (Berol. 1792.) p. 34. seq.

St Croix, examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand. Ed. II. 1804. p. 783—737.

Wahl: Erdbeschreibung von Hindostan. 1805. T. I. p. 181—188.

K'andragupta rex Prâk'jarum[6]), imperium per magnam Indiae partem protulerat, eodem fere tempore, quo Seleucus orientalibus Antigoni provinciis occupatis magnum regnum sibi condiderat. De terris in finibus Indiae et Persiae sitis, quas Alexander occupaverat, paulo ante Antigonum mortuum bellum exortum est. De quo quas sententias inter se vehementer repugnantes VV. DD. proposuerunt, h. l. non possumus non paucis examinare. Historiarum enim scriptoribus iamdiu constare videtur, Seleucum illo bello in mediam Indiam, ulterius certe quam Alexandrum progres-

Vincent: periplus of the Erythrean sea 1807, T. II. p. 18—20.
Biographie universelle, ancienne et moderne. Paris. 1821. T. XXVIII. p. 111—112. (M. B—n.)
Schoell: histoire de la littérature Grecque. 1824. T. III. p. 383—384.
Clinton: fasti Hellen. 1830. T. III. p. 482—483.
A. G. a Schlegel: Ueber die Zunahme und den gegenwärtigen Stand unserer Kenntnisse vou Indien. Commentatio inserta calen- Berolinensi anni 1829. p. 32—35.
P. a Bohlen: Das alte Indien. 1830. T. I. p. 68—69.
Ritter: Erdkunde. 1835. Asien T. IV. p. 481—482.
Benfey: Indien. 1840. (*Ersch* und *Gruber:* Encyclopädie der Wissenschaften und Künste. Sect. II. T. XVII.) p. 68.
Forbiger: Handbuch der alten Geographie 1842. T. I. p. 156.
Lassenius, qui passim in libris fere omnibus, quos conscripsit, de Megasthene disseruit, ex toto de eo dicet in altera parte voluminis primi antiquitatum Indicarum.

6) K'andraguptae nomen a Graecis pronunciatur *Σανδρόκοττος*, *Σανδρακόττας*, *Σανδράκοττος*, *Ἀνδρόκοττος*, accuratissime *Σανδρόκυπτος*. Cf. Schlegelii bibl. Ind. I. 245. — Prâk'jae (i. e. orientales) a Strabone, Arriano, Plinio nuncupantur *Πράσιοι*, Prasii, a Plutarcho Alex. 62. *Πραίσιοι*, quo nomine etiam Aelianus saepius usus est, a Nicolao Damasc. ap. Stob. floril. 37. 38. *Πραΰσιοι*, a Diodoro XVII. 93. *Βρήσιοι*, a Curtio IX. 2. 3. Pharrasii, a Iustino XII. 8. 9. Praesides. Propius ad sonum vocis sanscritae prâk'ja nomen reddere Megasthenes studuit: nam in hunc modum apud Aelianum h. a. XVII. 39. nomen pronunciavit, *Πραξιακός*. Et pro eo nomine, quod nunc apud Stephanum Byz. legitur, *Πράσιοι*, quum inter voces *Πράξιλος* et *Πρᾶς* collocatum sit, restituendum videtur *Πράξιοι*.

sum esse; tum usque ad Gangem, tum ad Pât'aliputram; tum ad ipsa ostia Gangis eum pervenisse contendunt. Neque potest dubitari, quin magis et dubitassent de ista sententia et eandem spectavissent, nisi *Lassenius*, quocum *Schlegelius* consentit, argumentis ex Indico quodam libro additis, rationes historicis conturbasset.[7])

Quin facta sit expeditio bellica, nemo dubitat. Cuius rei testes sunt *Appianus* Syr. 55. et *Iustinus* XV. 4. 12. *Iustinus* tradit haec: (*Seleucus*) *transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, veluti cervicibus iugo servitutis excusso, praefectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat* et postquam ab hac re degressus de K'andragupta dixit, narrare pergit in hunc modum: *cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. XV, 4. 21.* Quem locum qui perlegerit, haud alicuius momenti bellum fuisse suspicabitur, et ipse Iustinus se leve bellum existimasse et in finibus tantum Indiae gestum, satis indicat his verbis: (*India,*) *quae post mortem Alexandri veluti cervicibus iugo servitutis excusso, praefectos eius occiderat*, ex quibus apparet, nomen Indiae h. l. ad eam solam partem spectare, quae ad Indum est sita. Quid, quod ipse Iustinus, vel qui Iustino auctor fuit, Seleucum in terras Gangeticas progressum esse aperte negat, quum de Semiramide I. 2. 10. haec retulerit: *Sed et Indiae bellum intulit, quo praeter illam et Alexandrum Magnum nemo intravit?* Seleuci igitur expeditionem tam levem esse arbitratur, ut ne Alexandri quidem bello Indico par sit.

Alter scriptor, qui hoc tempus tractavit, Appianus, res a Seleuco gestas enumerat Syr. 55., aperte operam dans, ut eum quam maxime efferat. Ibi legimus haec: *καὶ τὸν Ἰνδὸν περάσας ἐπολέμησεν Ἀνδροκόττῳ, βασιλεῖ τῶν περὶ αὐτὸν Ἰνδῶν, μέχρι φιλίαν αὐτῷ καὶ κῆδος συνέθετο.* Quum

7) Lassen: De pentapot. Ind. 61, A. G. a Schlegel: Berliner Kalender. 1829. p. 31. Contra dixit Benfey: Hall. Encyclop. s. v. Indien. p. 67.

finem expeditionis in laudatione ista silentio praetermiserit, et hoc solum de Seleuci rebus gestis tradiderit μέχρι φιλίαν αὐτῷ καὶ κῆδος συνέθετο, apparere videtur, res describendas non gloriosas fuisse: nam si usque ad Gangem Seleucus venisset, hoc commemorare aptissimum erat ei fini, ad quem Appianus tendebat. Sed Appianus quoque leve fuisse et solis in finibus gestum bellum existimavit: K'andraguptam enim, potentissimum regem, cui terrae ad Indum sitae non multum valebant, appellavit βασιλέα τῶν περὶ τὸν Ἰνδὸν Ἰνδῶν.

Qui tertius res Seleuci copiose narravit, Diodorus, ne verbum quidem de Indica expeditione dixit. Neque quidquam de Seleuco addidit alio loco, quo recepit hanc Megasthenis sententiam (II. 37.): διὸ καὶ τῆς χώρας ταύτης (scil. τῶν Γαγγαριδῶν) οὐδεὶς πώποτε βασιλεὺς ἔπηλυς ἐκράτησε. — Καὶ γὰρ Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν ἁπάσης τῆς Ἀσίας κρατήσας, μόνους τοὺς Γαγγαρίδας οὐκ ἐπολέμησε, quam tamen sententiam, quum Megasthenis eam esse non dixerit, etiam suam ipsius esse Diodorus indicavit.

His igitur expositis manifestum est, eos scriptores, qui Seleuci res ceteroquin bene cognitas habent, Indicam eius expeditionem prorsus ignorasse. Neque minus, qui rerum Indicarum periti fuerunt. Megasthenes, si narrationum rationem spectas, eo tempore in Indiam legatus profectus esse videtur, quo reges inter se in amicitia erant, i. e. post bellum finitum: narrat tamen ipse, praeter Alexandrum nunquam hostem esse in Indiam profectum. Sed etiamsi legationem ante ortum bellum ponamus, mirum tamen est, quod Strabo, Arrianus, Diodorus nihil de Seleuco addiderunt. (Strab. 686, Arr. Ind. 5. 7, 9. 10—11, Diod. II. 37.) Quos tamen, sicut Diodorum, Gangeticae expeditionis ignaros fuisse, ex locis compluribus perspicuum est, quibus illius mentio fieret necesse erat. Uterque enim quotiescunque Alexandri expeditionem memoravit, ne verbum quidem de Seleuco addidit, Indiam usque ad Vipâçam uterque dixit notam esse, reliquam partem non cognitam

(Strab. 702, Arr. Ind. 6. 1.); Arrianus Ind. 5. 3. suspicatur, Megasthenem non multum Indiae peragrasse πλήν γε ὅτι πλεῦνα ἢ οἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου ἐπελθόντες; quo loco Megasthenem cum Seleuco comparare multo et facilius erat et aptius; Strabo, qui idem Seleuci imperium p. 689. Macedonicum appellavit, tamen Alexandrum spectans Macedonicam pluries expeditionem memorat (686, 689, 699.), quam igitur cum alia confundi non posse confidit. Menandrum cum solo Alexandro comparat, et quasi admirabile et inauditum sit, eum ipsam Vipâçam transiisse et pervenisse usque ad Iamunam narrat. (Strab. 516 cf. Lassen, zur Geschichte der Griechischen und Indoscythischen Könige p. 231.) Neque Plutarchus magna Seleuci expeditionis Indicae gnarus est; nam de magno Prâk'jarum exercitu locutus addit haec: καὶ κόμπος οὐκ ἦν περὶ ταῦτα. Ἀνδρόκοττος γὰρ ὕστερον οὐ πολλῷ βασιλεύσας Σελεύκῳ πεντακοσίους ἐλέφαντας ἐδωρήσατο, καὶ στρατοῦ μυριάσιν ἑξήκοντα τὴν Ἰνδικὴν ἐπῆλθεν ἅπασαν καταστρεφόμενος. Alex. 62. Neque ceteri rerum Alexandri scriptores ne levissime quidem indicant, aliud post Alexandrum gravius bellum in India esse gestum. Tamen tantae rei memoriam, quae Macedonibus et Graecis nescio quos spiritus attulisset, illo tempore interiisse, vix potest cogitari. Interire quidem potuit eorum memoria, quae Graeci Bactriae reges in India gesserant, quum Bactriani immenso spatio et per multas barbaras gentes a societate Graecae vitae Graecarumque litterarum exclusi essent: contra Seleuci tempore Macedones disiecti ipso bello conveniebant, ita ut quae alii gesserant, aliis totique Graeciae esse incognita non possent.

Si examinamus hoc alterum, quam fidem expeditio in Gangeticas terras facta per sese habeat, hanc nullam omnino esse videmus. Nam Alexandri bellum documento iam fuerat, Indicum bellum non brevi tempore ad finem posse perduci: attamen, etsi cum regibus populisque exiguae potentiae Alexander pugnaverat, non amplius quam ad Vipâçam erat progressus, et de magno Prâk'jarum exercitu

certiores facti, invicti milites animum demiserant. Seleuco regnante Prâk'jarum imperium tanto maius erat factum, quanto inferior Seleucus erat Alexandro. Accedit, quod in orientalibus regni finibus Antigonus, ei hostis erat, cui ut Seleucum ex provinciis sibi ereptis expelleret, nihil nisi otium deerat. In tantis angustiis versatus quomodo in Gangeticas terras poterat tantam expeditionem suscipere, cui ne Alexander quidem par fuerat? Certius est argumentum in pace, quae detrimento non parvo Seleuci facta est, quum non modo eis terris Indicis, quas Alexander expugnaverat, sed etiam Arianae magna parte cederet[8]: cuius damni tota compensatio D elephanti fuerunt, quorum K'andraguptas habebat novem millia. Plin. h. n. VI. 22. 5.

Ita quum ex omni parte multae causae conveniant, quae Seleucum in interiorem Indiam profectum esse negent, coniecturae illius solum argumentum est Plinii locus (h. n. VI. 21. 8.), quo postquam ex Baetone et Diogneto spatia a portis Caspiis usque ad Vipâçam enumeravit, Plinius addidit haec: *Reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt: ad Hesidrum CLXVIII. mill., Iomanem amnem tantumdem. Exemplaria aliqua adiiciunt quinque mill. pass. Inde ad Gangem CXII. mill. Ad Rhodapham CXIX. mill. Alii CCCXXV. mill. in hoc spatio produnt. Ad Calinipaxa oppidum CLXVII. D. Alii CCLXV. mill. Inde ad confluentem Iomanis amnis et Gangis DCXXV. mill. Plerique adiiciunt XIII. mill., ad oppidumque Palibothra CCCCXXV. Ad ostium Gangis DCXXXVIII. mill. pass.* Si qui forte putent, tam accurate Plinium scripsisse, ut rem omnibus veteribus ignotam solus possit confirmare, constantiae causa usque ad ostia Gangis Seleucum progressum esse agnoscant: quod certe patet ex voce „*reliqua*“, si cum iis, quae sequuntur, coniungitur. Ad hanc difficultatem accedit altera in voce peragrare posita: nam peragrare non est vo-

8) Strab. 689: ὕστερον καὶ τῆς Ἀριανῆς πολλὴν ἔσχον οἱ Ἰνδοὶ λαβόντες παρὰ τῶν Μακεδόνων. Cf. Strab. 724, Plut. Alex. 62, Iustin. XV. 4. 21, App. Syr. 55, Plin. VI. 22. 7, 23. 9.

cabulum, quo solo expeditio bellica significetur. Contra facile intelligitur, alio quoque modo istum locum posse explicari, ita quidem, ut Plinio negligentia quaedam et ambiguitas orationis imputetur, sed quis est, qui neget, Plinium sexcenties negligenter et ambigue scripsisse? Seleuco Nicatori est dativus commodi, qui dicitur: pro Seleuco reliqua peragrata sunt. Quae explicatio ab omni parte probatur: Megasthenes enim, Deimachus et Patrocles pro Seleuco Indiam peragraverunt, quos tamen ipsos Plinius brevitatis causa non enumeravit, eodem modo, quo antea Alexandrum, h. l. Seleucum memorans. Deinde etiam Megasthenem scimus spatia ab Indo secundum viam regiam usque ad Pât'aliputram et ad ostia Gangis enumerasse, quae quidem Strabo, quum solam Indiae longitudinem indicare sibi proposuisset, non tam accurate quam Plinius retulit. (Strab. 689. cf. 69. Arr. Ind. 3. 7.) Explicationis nostrae aut documentum aut refutatio erit numerorum, qui apud Plinium et Strabonem leguntur, convenientia aut discrepantia. Sed ei numeri, qui ad priorem viae partem usque ad Pât'aliputram pertinent, inter se comparari non possunt: etenim Plinius in aliis libris alios jam invenit numeros, et quos tradit, maximam partem falsos et immodicos esse apparet: neque possunt ad plenum stadiorum numerum revocari praeter DCXXV. mill. pass., quae accurate V. millibus stadiorum respondent. Attamen fieri fortasse poterat, ut veri numeri restituerentur, nisi Rhodaphae et Calinipaxae urbium obscuritate firmum quoddam fundamentum emendationi deesset. Certius iudicari potest de altera viae parte, quae est a Pât'aliputra usque ad ostia Gangis: quam Plinius DCXXXVIII. mill. pass. tradit efficere. Neque quisquam, hunc quoque numerum falsum esse, non videt; nam quum spatium illud incertius esset cognitum, plenus stadiorum numerus referri debebat. Sed legendum est DCCXXXVIII., de qua emendatione vix quisquam dubitabit, qui stadiorum et passuum comparationem semel instituerit: nam et paullulum tantum immutatum est, et nume-

rus DCCXXXVIII. accurate cum VI. mill. stad. consentit. Deinde, quum etiam Megasthenes sex millia stadiorum de hoc spatio tradiderit (Strab. 689.), vix dubium est, quin Plinius ex Megasthene numeros exscripserit, et Seleucum in terras Gangeticas profectum esse, nequaquam voluerit contendere. Insuper, ne quid desit huic argumento, Plinius ipse paulo antea eodem capite (VI. 21. 3.) dixit haecce: *Etenim patefacta est (India) non modo Alexandri Magni armis, regumque qui et successere, circumvectis etiam in Hyrcanium mare el Caspium Seleuco et Antiocho, praefectoque classis eorum Patrocle: verum et aliis auctoribus Graecis, qui cum regibus Indicis morati (sicut Megasthenes et Dionysius a Philadelpho missus ex ea causa) vires quoque gentium prodidere.* Sententia, quam h. l. protulit, *circumvectis etiam in Hyrcanium mare et Caspium Seleuco et Antiocho et Patrocle* nihil aliud esse potest, nisi confirmatio et explicatio, quomodo *India armis regum, qui Alexandro successere, patefacta sit* et quum ad hanc sententiam firmandam afferat circumvectionem, non bellum in intima India gestum, manifestum est, tantae expeditionis eum ignarum fuisse.

Quae quum ita sint, scriptores Graeci Romanique omnes, Seleucum in Gangeticas terras pervenisse, non modo non probant, sed etiam silentio refellunt. Hoc solum restat certum, bellicam expeditionem esse factam, sed utrum leve bellum in finibus ortum sit, an pax sine pugna facta, ignoramus. Nunc restat, ut disputemus de hoc loco Mudrârâxasae comoediae Indicae, quem Lassenius (de pentapot. Ind. 61.) attulit: *Est interea omnibus Cirâtis, Iavanis, Câmbôg'is, Persis, Bactrianis ceterisque K'andraguptae et regis regionum montanarum copiis undecunque circumsessa urbs Cusumapura* i. e. Pât'aliputra. Comoedia ista, si Vilsonis auctoritatem sequaris, saeculo decimo post Christum scripta est, decem certe saeculis post Seleuci expeditionem. Itaque, quum ne historiarum quidem libri Indici aliquam in historia auctoritatem habeant, quid co-

moediae demonstrent, post multa saecula conscriptae? Iavanae, quod quidem posteriore tempore etiam Graecorum est nomen Indicum, tempore iam antiquissimo gens quaedam nominatur, quam Indi in finibus Indiae inter occasum et septentriones habitare perhibent; eademque iam apud Manum X. 44. una cum Câmbôg'is, Sacis, Pâradis, Pahlavis, Cirâtis inter Xatrijas depravatos enumeratur. (*Cf. Lassen: Zeitschr. für die Kunde des Morgenlands III. 215.*) Isti igitur Iavanae hoc quoque loco intelligendi sunt, quo una cum iisdem gentibus, quibuscum solent, enumerantur. Ceterum Lassenium non ideo attulisse Mudrârâxasae locum arbitror, quo longinquam Seleuci expeditionem demonstraret, sed propterea solum, ut eam, quam ex Plinio constare putabat, hoc loco illustraret.

Ut firmarent pacem, quam fecerant, reges affinitatem jungebant, eodem fortasse tempore, quo pacem [9]. Qua amicitia factum est, ut ad alterum alter legatos mitteret. Ita per transitum ex Phylarcho audimus (apud Athen. p. 18. D.) K'andraguptam dona satis mira Seleuco misisse: *Φύλαρχος δὲ Σανδρόκυπτόν φησι τὸν Ἰνδῶν βασιλέα Σελεύκῳ μεθ' ὧν ἔπεμψε δώρων ἀποστελεῖν τινας δυνάμεις στυτικὰς τοιαύτας, ὡς ὑπὸ τοὺς πόδας τιθεμένας τῶν συνουσιαζόντων οἷς μὲν ὁρμὰς ἐμποιεῖν ὀρνίθων δίκην, οὓς δὲ καταπαύειν.* cf. Apollon. mirab. 18. Westerm. Contra Seleucus Pât'aliputram misit Megasthenem [10].

De vita Megasthenis nihil tradiderunt veteres, praeter hunc Arriani locum: *Μεγασθένης, ὡς ξυνῆν Σιβυρτίῳ τῷ σατράπῃ τῆς Ἀραχωσίας.* Sibyrtium ex Diodoro (XVIII. 3.)

---

9) Strab. 724. *Ἔδωκε δὲ Σέλευκος ὁ Νικάτωρ Σανδροκόττῳ* (scil. Arianae partem) *συνθέμενος ἐπιγαμίαν καὶ ἀντιλαβὼν ἐλέφαντας πενταχοσίους.* Cf. Appian. Syr. 55: (*Σέλευκος*) *ἐπολέμησεν Ἀνδροκόττῳ* — —, *μέχρι φιλίαν αὐτῷ καὶ κῆδος συνέθετο.*

10) Strab. 70. 702, Arr. exp. Alex. V. 6. 2, Ind. 5. 3, Plin. h. n. VI. 21. 3. Alter quidam Megasthenes, qui nuncupatur *Μεγασθένης ὁ Χαλκιδεύς*, unus erat ex triumviris, qui Cumas condebant. Strab. V. 372, Vellej. Paterc. I. 4.

novimus satrapiam Arachosiae et Gedrosiae adeptum esse olympiadis CXIV. anno altero, quam etiam obtinuisse eum olymp. CXVI. anno primo ex Diodoro (XIX. 48.) discimus: sed amplius veteres nihil de eo tradiderunt. Neque certius ex reliquiis Indicon de vita Megasthenis iudicari potest. Id quod scire gravissimum est, num Alexandri expeditioni Indicae iam interfuerit, dubium est vel potius ad fidem difficile. Cui coniecturae hoc solum ansam dare potest, quod Nilum et Danubium cum Indo et Gange comparavit (Arr. exp. Al. V. 6. 10.), sed quum comparatio ista fortasse solius Eratosthenis sit, quem una cum Megasthene Arrianus laudavit, deinde, quum ne levissime quidem, sese illi expeditioni interfuisse, ullo loco indicaverit, postremo, quum per errorem Vipâçam dixerit in Irâvatim influere, (Arr. Ind. 4. 8,), de qua re Alexandri comites omnes consentiunt, nihil fere est illa coniectura incertius.

Neque hoc alterum certius potest expediri, quae fuerit causa, ob quam Seleucus legatum ad K'andraguptam miserit.[11] Eadem in dubitatione tempus legationis relinquitur: quum autem dubitari non possit, quin missa sit inter amicitiam regum, existimandum est, eam pertinere ad id tempus, quod inter pacem factam et K'andraguptam mortuum vel inter annos CCCII. et CCLXXXVIII. interest. Qua in re dubia minime errabimus, si medium annum i. e. CCLXXXXV. a. Chr. (Olymp. CXXI. ann. II.) statuerimus.[12]

---

11) Parum expedit hanc rem Plinius hoc loco: *India patefacta est — — et aliis auctoribus Graecis, qui cum regibus Indicis morati (sicut Megasthenes et Dionysius a Philadelpho missus ex ea causa) vires quoque gentium prodidere.* VI. 21. 3.

12) *Clinton.* fast. Hell. III. p. 482. not. z. Megasthenem Indica conscripsisse contendit paulo ante annum CCCII, sed confidit perperam, missum esse Megasthenem, ut pacem conficeret. Quae coniectura ad veritatem minime videtur accedere; primum enim nusquam memoratur, Megasthenem pacis interpretem fuisse, deinde Pât'aliputram profectus est ibique diutius moratus, postremo eiusmodi est narratio, ut intelligamus, Megasthenem amice et sine ulla dissimulatione exceptum fuisse.

Paulo certius quam de anno, de tempore anni dici potest: nam ex eo, quod de latitudine Gaugis et Çôn'ae retulit[13]), intelligimus eum pluvio tempore Pât'aliputrae fuisse. Qua quidem re non probatur, non diutius ibi eum moratum esse: imo exstat causa, licet sit levior, ob quam putes eum Pât'aliputrae fuisse iam veris tempore. Descripsit enim conventum Brahmanarum[14]), qui anni Indici die primo (i. e. mense K'aitra vel Martio) convenirent, ut de anni temporibus vaticinarentur, i. e. ut calendarium constituerent.

Minus est dubium, quas Indiae partes viderit. Et per sese et quia accuratius, quam ullus Alexandri comes vel alius Graecus, Cabuliae et pentapotamiae flumina enumeravit[15]), constat per has terras eum profectum esse. Deinde scimus eum regiam viam secutum[16]) usque ad Pât'aliputram pervenisse. Neque tamen videtur praeter has ullam Indiae partem conspexisse; et ipse confitetur (Strab. 689.), sese inferiorem partem Gangeticae terrae auditu tantum et fama novisse. Vulgo eum opinantur etiam in castris Indicis moratum esse, in alia igitur regione non amplius cognita: quae tamen opinio in depravata quadam lectione posita est, quam editiones Strabonis praebent. In omnibus enim codicibus Strabonis (p. 709.) legitur hoc: *Γενομένους δ' οὖν ἐν τῷ Σανδροκόττου στρατοπέδῳ φησὶν ὁ Μεγασθένης, τετταράκοντα μυριάδων πλήθους ἱδρυμένου, μηδεμίαν ἡμέραν ἰδεῖν ἀνηνεγμένα κλέμματα πλειόνων ἢ διακοσίων δραχμῶν ἄξια.* Sola discrepat versio Guarini et Gregorii his verbis: „Megasthenes refert, quum in Sandrocotti castra venisset - - vidisse", ex quibus apparet, interpretem scriptum invenisse *γενόμενος*. Sed quum versio illa vix uni auctoritate codici par sit, et quum vox *γενομένους* in vocem *γενόμενος* faci-

13) Arr. Ind. 4. 7, 10. 5, Strab. 702, Plin. h. n. VI. 22. 1.

14) *Μεγάλη λεγομένη σύνοδος τῶν φιλοσόφων.* Strab. 703, Arr. Ind. 11. 4 — 6, Diod. II. 40.

15) Arr. Ind. 4. 8 — 12.

16) Cf. Strab. 689. et Plin. h. n. VI. 21. 8, quem locum Megastheni modo attribuimus.

lius, quam γενόμενος in γενομένους immutari potuerit, nulla omnino est causa, cur a lectione omnium codicum recedamus. Quorum scripturam vana coniectura sollicitavit Casaubonus, substituendum esse contendens γενόμενος, quum constet ex Strabone et Arriano V. 6. 2., Megasthenem ad Sandrocottum missum fuisse; quae causa nihil omnino probat. Tamen a Casauboni tempore scriptura γενόμενος haud recte vulgata mansit.

Disputetur simul de alio loco, ex quo Megasthenem etiam ad Porum profectum esse suspiceris. Legitur enim apud Arrianum (Ind. 5. 3.) hoc: Ἀλλ' οὐδὲ Μεγασθένης πολλὴν δοκέει μοι ἐπελθεῖν τῆς Ἰνδῶν χώρης, πλήν γε ὅτι πλεῦνα ἢ οἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου ἐπελθόντες. Ξυγγενέσθαι γὰρ Σανδρακόττῳ λέγει τῷ μεγίστῳ βασιλεῖ τῶν Ἰνδῶν καὶ Πόρῳ (sic) ἔτι τούτου μέζονι. Sed etiamsi omiseris, Porum ante Seleuci regnum iam interfectum fuisse (Diod. XIX. 14.), Megasthenem igitur non in illa legatione, sed forte viginti annis ante potuisse cum eo convenire, tamen restat duplex in illo loco absurda sententia. Absurdum enim erat contendere, Megasthenem, quia cum Poro convenerit, maiorem Indiae partem Alexandro peragrasse, absurdius etiam, maiorem dicere Porum, quam K'andraguptam, quem ipse Arrianus modo appellavit τὸν μέγιστον βασιλέα τῶν Ἰνδῶν. Propter hanc sententiae istius perversitatem *Lassenius*, quem alii sunt secuti, coniecit (pentap. Ind. 44.) *locum istum Arriani a scriba quodam esse profectum, qui Porum, quem semper in ore ferunt Graeci, ubi de India sermo fiat, h. l. omissum esse aegre ferens verba ista addiderit.* Quod vereor ne audacius V. D. suspicatus sit, quam verius; tametsi certum est, Arrianum id, quod nunc legitur, non potuisse scribere. Sed facilius, nisi fallor, locus ita potest emendari, ut sanam sententiam habeat: ita enim legendum videtur: Ξυγγενέσθαι γὰρ Σανδρακόττῳ λέγει, τῷ μεγίστῳ βασιλεῖ τῶν Ἰνδῶν, καὶ Πώρου ἔτι τούτῳ μέζονι, quam emendationem per sese probari omnesque difficultates expedire arbitror.

Megasthenem saepius in Indiam profectum esse, recentiores scriptores uno ore omnes Robertsonium secuti solent contendere: tamen ut certa sit haec opinio, multum deest. Nam quod Arrianus narravit exp. Alex. V. 6. 2.: *Πολλάκις δὲ λέγει (Μεγασθένης) ἀφικέσθαι παρὰ Σανδράκοττον τὸν Ἰνδῶν βασιλέα*, quaestionem non solvit: hoc enim voluisse potest, Megasthenem in una illa legatione K'andraguptam saepius adiisse. Neque ex orationis contextu altera apparet explicatio. Neque certe praeterea ullus scriptor plura eius itinera commemoravit, etsi commemorandi occasio minime defuit, neque in ipsis eius Indicis plurium itinerum levissimum vestigium invenitur. Sed forte dicat quispiam, repugnare accuratam, quam ille habuerit, omnium rerum Indicarum cognitionem; quam tamen, si credideris eum per tempus non exiguum Pât'aliputrae commoratum fuisse, aeque explicabis ac si pluries in Indiam eum profectum esse putaveris. Quae igitur Robertsonii coniectura incerta videtur, ne dicam, ad fidem difficilis.

2. De Indicis Megasthenis eorumque argumento.

Opus illud, quod ut scriberet, iter Megastheni occasionem praebuit, inscriptum erat *τὰ Ἰνδικά*. Ex quo ita, ut libri numerus indicetur, hi loci afferuntur:

Athen. IV. p. 153. *Μεγασθένης ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Ἰνδικῶν τοῖς Ἰνδοῖς φησιν ἐν τῷ δείπνῳ παρατίθεσθαι ἑκάστῳ τράπεζαν· ταύτην δ' εἶναι ὁμοίαν ταῖς ἐγγυθήκαις· καὶ ἐπιτίθεσθαι ἐπ' αὐτῇ τρύβλιον χρυσοῦν, εἰς ὃ ἐμβαλεῖν αὐτοὺς πρῶτον μὲν τὴν ὄρυζαν ἑφθήν, ὡς ἄν τις ἑψήσειε χόνδρον, ἔπειτα ὄψα πολλὰ κεχειρουργημένα ταῖς Ἰνδικαῖς σκευασίαις.*

Clem. Alex. Strom. I. p. 132. Sylb. *Φανερώτατα δὲ Μεγασθένης ὁ συγγραφεὺς ὁ Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι συμβεβιωκὼς ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἰνδικῶν ὧδε γράφει· Ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι· τὰ μὲν παρ'*

Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων.

Ioseph. contra Apion. I. 20. et antiq. Iud. X. 11. 1.: Συμφωνεῖ καὶ Μεγασθένης ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Ἰνδικῶν, δι' ἧς ἀποφαίνειν πειρᾶται τὸν προειρημένον βασιλέα τῶν Βαβυλωνίων (i. e. Ναβουχοδονόσορον) Ἡρακλέους ἀνδρείᾳ καὶ μεγέθει πράξεων διενηνοχέναι· καταστρέψασθαι γὰρ αὐτόν φησι καὶ Ἰβηρίαν.

Cf. G. Syncell. T. I. p. 419. Bonn. Τὸν Ναβουχοδονόσορ ὁ Μεγασθένης ἐν τῇ δ' τῶν Ἰνδικῶν Ἡρακλέους ἀλκιμώτερον ἀποφαίνει etc.

Reliquiae, quum ab aliis scriptoribus alio ordine coniungantur, non sine difficultate quadam apte disponuntur. Is locus, quem ex Athenaeo attulimus, convenire videtur huic Strabonis loco: Τἆλλ' οὐδ' ἂν τις ἀποδέξαιτο· τὸ μόνους διαιτᾶσθαι ἀεὶ καὶ τὸ μὴ μίαν εἶναι πᾶσιν ὥραν κοινὴν δείπνου τε καὶ ἀρίστου, ἀλλ' ὅπως ἑκάστῳ φίλον (p. 709.). Itaque morum Indicorum descriptionem, cui insertus est locus laudatus, ad alterum Megasthenis librum referendam esse arbitror. Libri tertii locus, quem Clemens Alex. affert, ei Megasthenis narrationi respondet, quae apud Strab. 713. exstat: Τὰ δὲ περὶ φύσιν τὰ μὲν εὐήθειαν ἐμφαίνειν φησίν· -- περὶ πολλῶν δὲ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν. Qui locus et ipse, et tota, qua continetur, relatio (711—714., 718.) ad tribuum descriptionem (p. 703—707. seq.) pertinet, id quod apparet ex his verbis ab initio positis: περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων λέγων - - φησίν etc. Accuratius denique libri quarti locus a Iosepho et Syncello memoratus convenit maiori, qui apud Strabonem 686. legitur: Ναυοκοδρόσορον δὲ τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως Στηλῶν ἐλάσαι, quocum alius cohaeret, qui apud Arrianum Ind. 7—10. exstat. Quod quum ita sit, libro quarto de historia, deis sacrisque Indorum dixisse videtur. Liber primus, nusquam tamen memoratus, partem continuisse videtur eam, quae ad geographiam et typographiam spectat: quae coniectura per sese probabilis initio epitomes

Diodori (II. 35. seq.) confirmatur. Quamquam ita circa eas partes, quae certum locum habent, ceterae quae restant collocari ac disponi possunt, probabilius alia, alia incertius, tamen hoc modo demonstrari nequit, Megasthenis Indica quatuor tantum libros continuisse.

Nulla est causa, propter quam Megasthenem Attica dialecto usum esse aut dubitemus aut negemus. Quod a quibusdam[17]) negatum est propter hunc Eusebii locum: *Εὖρον δὲ καὶ ἐν τῇ Ἀβυδηνοῦ περὶ Ἀσσυρίων γραφῇ περὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ ταῦτα· Μεγασθένης δέ φησι, Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέους ἀλκιμώτερον γεγονότα ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι· ταύτας οὖν χειρωσάμενον ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου κατοικίσαι. Μετὰ δὲ λέγεται πρὸς Χαλδαίων, ὡς ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήϊα κατασχεθείη θεῷ κ. τ. λ.* (praep. ev. IX. 41. ed. Colon. 1688. p. 456. D.). Nam quum hanc sententiam *μετὰ δέ* etc. ad verbum ex Megasthene exscriptam VV. DD. putarent, eius libros ionice scriptos coniiciebant. Cui opinioni est opponendum, totum hunc locum Abydeni esse, itaque solum id ex Megasthene esse sumptum, quod oratione obliqua Abydenus ei attribuit, et unde directa oratio coeperit, i. e. verbis *μετὰ δέ*, Abydeni iterum incipere narrationem. Quod si ullo modo dubium esse posset, argumentum loci a Megasthenis Indicis alienum, maxime si id cum aliis locis eiusdem argumenti conferres, qui apud Strabonem 687. et Iosephum l. l. exstant, ostenderet, Megasthenem solius brevis sententiae *Ναβουκοδρόσορον — κατοικίσαι* fuisse auctorem. Hoc loco expedito, unus restat ad verbum expressus apud Clementem Alex. (Strom. I. p. 132. Sylb.), in quo ionismi ne vestigium quidem ullum inest.

Simul quam praeter hunc loci ad verbum exscripti non exstent, et quum ne veterum quidem testimoniis adiuvemur, de oratione Megasthenis nonnisi incertius iudicare possumus,

---

17) Vales. ad l. l., Larcher. chron. Herod. VII. p. 170. et Clinton. fast. Hell. p. 307., qui tamen ipse sententiam mutavit III. p. 483.

Alexandri aetate, qua *πολυγραφία* quaedam et *πολυϊστορία* in litteras Graecas permanare coepit, et qua multi viri ingenii et doctrinae expertes libros edunt, materies atque oratio iam non aequabiliter coluntur: apud alios enim materiem oratio, apud alios orationem materies superat, ita ut apud illos oratio inflata et inanis inveniatur, apud hos exilius et iniucundius res consarcinentur potius quam describantur. Etsi, quatenus his Megasthenes sit annumerandus, nescimus, tamen ex pluribus locis, qui ad similitudinem catalogi propius, quam plenae descriptionis accedunt, coniicere possumus, eum quoque res magis, quam compositionem et dictionem respexisse. Quae res praeter epitomas nescio an causa fuerit principalis, cur Megasthenis libri perditi sint.

Singulas Megasthenis narrationes h. l. summatim tantum enumerare possumus et ad hunc solum finem, ut uno in conspectu omnes videantur: singularum omnium explicatio ei reservetur, qui forte Megasthenis reliquias cum commentariis editurus sit. Itaque id solum paulo longius exponemus et cum narratione ceterorum Graecorum comparabimus, quod opus erit, quo Megasthenis fidem et pretium recta ratione metiamur.

Geographiam Indiae scribere coepit finibus recte enumeratis[18]). Deinde transit ad magnitudinem Indiae describendam, de qua primus inter omnes Graecos rectius iudicavit[19]), neque eam postea ullus, si universum spectas, accuratius definivit[20]). Item primus et Daimacho excepto

18) Diod. II. 35, Arr. exp. Alex. V. 6. 4.

19) Herodotus III. 94. dixerat: *Ἰνδῶν δὲ πλῆθος πολλῷ πλεῖστόν ἐστι πάντων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ἀνθρώπων*, Ctesias, Indiam magnitudine reliquae Asiae non disparem esse. Neque multo certiores facti sunt de ambitu Indiae Alexandri comites: narrat enim Onesicritus, Indiam esse tertiam partem orbis terrarum, Nearchus, iter per campum esse quatuor mensium. Strab. 689, Arr. Ind. 3. 5—6.

20) Accuratius solus Patrocles Megastheni aequalis narrat, per XV. millia stad. Indiam ab occidente ad orientem extendi. Strab. 68, 69, 689.

solus ex omnibus Graecis novit Indiae formam, de qua ii, qui ante Alexandrum scripserunt, nihil omnino, quod sciamus, certius dicere erant ausi, et cuius Macedones tam fuerant ignari, ut errore maximo longitudinem ab occidente ad orientem, a septentrionibus meridiem versus esse latitudinem putarent[21]. Latitudinem dicit XVI. millia stad. explere[22], addens, quo modo hoc spatium computaverit: ab Indo enim usque ad Pât'aliputram columnas milliarias X. mill. stad.[23] indicare, reliquum spatium usque ad mare porrectum VI. mill. stad. ex computatione nautarum effi-

---

21) Erroris causa non latet. Macedones enim ad Vipâçam progressi certiores erant facti, orientem versus Indiam per spatium ingens extendi, deinde secundo flumine ad meridiem profecti, breviore itinere mare invenerant. Ab hoc tempore hic esse Indiae latitudinem, longitudinem illic opinabantur, omittentes, litus ulterius ad meridiem posse flecti. Error iste expeditione Alexandri ortus vel certe confirmatus, quo Indiae forma omnino corrumpitur, ab Eratosthene totam Graecorum geographiam pervadit.

22) Arr. Ind. 3. 7—8, Strab. 69, 689. Huc etiam pertinere supra exposuimus varia spatia, quae Plinius h. n. VI. 21. 8. prodidit.

23) Legendum esse apud Strabonem p. 689. καταμεμέτρηται σχοινίοις καὶ ἔστιν ὁδὸς βασιλικὴ σταδίων μυρίων, neque quod in omnibus codd. invenitur δισμυρίων, nihil dubitationis habet. Deinde in omnibus Strabonis codd. legitur σχοινίοις, et apud Arrianum, qui eundem locum ex Megasthene exscripsit (Ind. 3. 4.), in omnibus σχοίνοις. Quamvis nihil in utraque lectione possit reprehendi, tamen vocem σχοίνοις mutare facilius erat, quam immutare σχοινίοις. Straboni enim mirum videri poterat, schoeni mensuram, qua Graeci uti assueverant, in India adhiberi. Convenit autem schoenus, qui Eratostheni est mensura quadraginta stadiorum (Plin. h. n. XII. 30.). accurate cum Indica jôg'anae mensura, quae quatuor crôças continet. Duplicem vulgo longitudinem jôg'anae attribui non ignoro, sed etiam minorem quum ipsi Indi agnoscunt (cf. As. Res. V. 105.), tum Sinenses peregrinatores (cf. Foe-koue-ki 87—88.) et ipse Megasthenes hoc loco Strabonis (708.): Οἱ ἀγορανόμοι ὁδοποιοῦσι καὶ κατὰ δέκα στάδια στήλην τιθέασι τὰς ἐκτροπὰς καὶ τὰ διαστήματα δηλούσας. Quo ex loco hoc certe apparet, decem stadia aliquam Indicam mensuram aequare, quae alia atque minor illa crôça esse non potest.

cere. Quod spatium, etsi re vera media Indi pars a Gangis ostiis non amplius XIII. mill. DCC. stad. abest, tamen si computationis illius rationem habemus, videtur quam accuratissime indicavisse. Quanto autem intervallo Himâlaja mons ab australi Indiae fine distaret, Megasthenes iam minus accurate poterat dicere, quum in hoc spatio terrae natura illi computationi minus conveniret. Quod igitur intervallum, quod recta via non amplius XVI. mill. CCC. stad. explet, et si Taprobanen insulam annumeraveris, XVII. mill. D. stad. aequat, XXII. mill. CCC. efficere contendit[24]), qui

---

24) Arr. Ind. 3. 8, Strab. 68—69, 690. Plinius h. n. VI. 21. 2. refert, Indiam a septentrionibus ad meridiem per spatium vicies et octies centenorum quinquaginta mill. pass. extendi. Qui numerus, quamquam XXII. mill. CCC. stad. non accurate respondet, sed XXII. mill. DCCC. stad. aequat, tamen ad eum numerum, quem Megasthenes dixit, propius quam ad alium ullum accedit.

Ab eis numeris, quos Arrianus et Strabo uno ore tradunt, Diodorus II. 35. mire discrepat: latitudinem enim ait XXVIII. mill. stad., longitudinem XXXII. mill. explere. Inconsideratum esset negare, Megasthenem etiam maiores Diodori numeros indicavisse, quia Arrianus numero haec ipsa verba addidit *ἵναπερ τὸ βραχύτατον αὐτοῦ* et *ἵναπερ τὸ στενώτατον αὐτοῦ* Ind. 3. 7, 3. 8, et quia Strabo latitudinis numero addidit *ᾗ βραχύτατον* (p. 689.) et de longitudine, Megasthenem et Daimachum spectans, diserte dixit hoc: *οἳ καθ᾽ οὓς μὲν τόπους δισμυρίων εἶναι σταδίων τὸ διάστημά φασι τὸ ἀπὸ τῆς κατὰ μεσημβρίαν θαλάττης, καθ᾽ οὓς δὲ καὶ τρισμυρίων* (68—69.). Attamen dubitari nequit, quin minorem numerum Megasthenes, Daimachus maiorem rectum existimaverit: nam et Arriano maior non memoratu dignus est visus, et Strab. 690. aperte hoc dixit: *Μεγασθένους καὶ Δηϊμάχου μετριασάντων μᾶλλον· ὑπὲρ γὰρ δισμυρίους τιθέασι σταδίους τὸ ἀπὸ τῆς νοτίου θαλάττης ἐπὶ τὸν Καύκασον, Δηΐμαχος δ᾽ ὑπὲρ τοὺς τρισμυρίους κατ᾽ ἐνίους τόπους*, quibus verbis ab hac sententia Megasthenem plane excludit. Et p. 72, ubi Daimachi XXX. mill. pass. memoravit, de Megasthene ne verbum quidem dixit. Neque minus de latitudine Indiae solam mensuram XVI. mill. stad. Megasthenes veram habuisse potest. Nam non solum Strabo (689.) et Arrianus (Ind. 3. 7.) maiorem Megasthenis numerum non commemorarunt, sed etiam Hipparchus apud Strab. 69., quo loco demonstravit Patroclem fide esse indi-

tamen numerus illi modo computandi satis accurate videtur respondere.

Altero quoque modo Indiae magnitudinem Megasthenes descripsit. Asiam enim ad Africum sitam in quatuor partes sibi dividit, ex quibus contendit eam, quae a mari ad Euphratem pateat, esse minimam, alias duas, quae terras inter Indum et Euphratem comprehendant, coniunctas vix pares esse Indiae[25]).

Postremo astronomice indicavit terrae situm et ambitum, apud Strabonem 76. memorans haecce: *ἐν τοῖς νοτίοις μέρεσι τῆς Ἰνδικῆς τάς τε ἄρκτους ἀποκρύπτεσθαι, καὶ τὰς σκιὰς ἀντιπίπτειν*[26]). Alterum fieri in extrema Indiae parte, quae meridiem versus sita est, alterum in omnibus regionibus ab tropico ad meridiem sitis, nemo est qui nesciat.

Inter eos locos, qui ex Megasthenis Indicis supersunt, ad topographiam et chorographiam non multi pertinent. Qui non solum ad eas regiones spectant, quas ipse peragravit Megasthenes, sed ad totum spatium ab Himâlaja

gnum, quia Indiae magnitudinem minorem quam Megasthenes indicaverit, solam mensuram XVI. mill. stad. tradidit, quo loco ut probaretur id, quod Hipparchus voluit, maximus numerus erat aptissimus. — Maiores ita ortos existimaverim numeros, ut ad occidentem Megasthenes annumeraverit Indiae Cabuliam et eam Arianae partem, quam Seleuco K'andraguptas ademit, ad septentriones finitimas gentes, v. c. Uttaracuros, quorum ipse alio loco mentionem fecit.

Id quod de latitudine Indiae Megasthenes dixit, per totam Graecorum geographiam perpetuum mansit, ita ut ne Ptolemaeus quidem, qui Indiam per XVI mill. DCCC. stad. extendi putat, aliquantum dissentiat. Sed longitudinis mensuram, quam indicavit, omnes reiecerunt, ne opinionem omnium veterum offenderent, qui zonam torridam putabant habitari non posse, aut Indiam ponerent (sicut Hipparchus) cum manifesto errore multo longius septentriones versus.

25) Arr. exp. Alex. V. 6. 2—3.

26) Cf. Diod. II. 35, Plin. h. n. VI. 22. 6. Ex scriptoribus Alexandri similia contenderant Nearchus et Onesicritus, et qui modum excessit, Baeto. (Strab. 77, Plin. 1 l.) Cf. Lassen. institut. linguae pracriticae. Append. p. 2.

usque ad Taprobanen extentum; ad flumina Indica plerique.

Fluminum Indicorum magnitudo mature occidentales gentes in admirationem converterat. Quod de Indo Scylax et Hecataeus retulerunt, nescimus, Ctesias (Ind. 1.) latitudinem ei XL. et CC. stad. attribuit. Magnitudinis in hunc modum augendae imprimis haec causa fuisse videtur, quod Persis, qui Ctesiae erant auctores, Indiae flumina tanto maiora visa sunt, quanto minora et rariora Persica fuere. Mirabundi Macedones, quorum expeditio pluvio tempore est facta, contuebantur Indi magnitudinem et fluminum in Indum influentium, neque mirari possumus, quod perpetuam eam esse vel existimaverunt vel simulaverunt, et quod in describendo Gange etiam maiore omnem modum excesserunt[27]).

Falsam opinionem de hac re ne Megasthenes quidem Graecis sustulit, quum idem de pluvio tempore diceret. Itaque Indum retulit maiorem esse Nilo et Danubio et omnibus Asiae fluminibus, quae in mare mediterraneum influerent, solo Gange minorem[28]). Certa autem latitudinis mensura non iam exstat. Flumina, quae in Indum influerent, quindecim enumeravit (Arr. exp. Alex. V. 6. 11.), quae nomina apud Arrianum (Ind. 4. 8—12.) legimus omnia:

---

27) Error ille magnum habuisse eventum videtur. Alexandrum enim, quum a copiis ut rediret coactus esset, nemo ignorat, exercitum non in Persiam duxisse, sed mutato tantum itinere per immensum spatium meridiem versus: quod quam mirum sit, iam saepius VV. D.D. dixerunt, mirasque opiniones addiderunt ex. c. Flathius (Geschichte Macedoniens I. 382. seq.) Causam in illo errore invenisse mihi videor. Immensa, quae pluvio tempore fuit, latitudo fluminum, quae maior erat, quam ostiorum Nili et Danubii et ceterorum, quae antea viderant, fluminum, effecit, ut qui orientem versus noluerant longius procedere, ostium prope abesse opinati in meridiem non inviti proficiscerentur.

28) Arr. exp. Alex. V. 6. 10, Ind. 4. 13.

I. Ἀκεσίνης. Ostium ἐν Μαλλοῖς.
  A. Ὑδραώτης. Ostium ἐν Καμβισθόλοις.
    1. Ὕφασις. Ostium ἐν Ἀστρόβαις (V.L. Ἀστρύβαις).
    2. Σαράγγης ἐκ Κηκέων. (Sic prim. edd., cod. Flor. ἐκ Κηνέων, vulg. ἐκ Μηκέων).
    3. Νεῦδρος ἐξ Ἀττακηνῶν.
  B. Ὑδάσπης. Ostium ἐν Ὀξυδράκαις.
    Σίναρος. Ostium ἐν Ἀρίσπαις.
  C. Τούταπος, μέγας ποταμός.
II. Κωφήν. Ostium ἐν Πευκελαΐτιδι (V.L. Πευκελαιήτιδι).
  A. Μαλάμαντος. (V.L. Μάλαντος).
  B. Γαῤῥοίας, (V.L. Γαροίας).
  C. Σόαστος.
III. Πτάρενος. (V.L. Πάρενος). } καθύπερθεν τουτέων.
IV. Σάπαρνος. }
V. Σόανος (V.L. Σόαμος) ἐκ τῆς ὀρεινῆς τῆς Ἀβισσαρέων (VV. LL. τῆς Βησσαρέων, τῆς Σαβίσσα ῥέων), ἔρημος ἄλλου ποταμοῦ [29]).

---

29) Inter haec flumina complura, quae sint et quo nomine sanscrito appellata, docte, ut solent, Schlegelius (Ind. Bibl. II. 295. seq.). et Lassenius (pentapot. Ind. 11. seq., Ind. Alterthumskunde I. 29. 44. seq.) explicaverunt. Ita constant haec nomina:

Ἰνδός, *Sind'u.*
Ὑδάσπης, *Vitastâ.*
Ἀκεσίνης, *K'andrab'âgâ.*
Ὑδραώτης, *Jrâvati.*
Ὕφασις, *Vipâçâ.*
Σόανος, *Suvana.*
Σαράγγης, *Çâranga.*

Tamen, quod flumen appelletur Çâranga, est dubium. Lassenius simul has duas lectiones constituit:

ἐκ Κηκέων, sanscrite enim eadem gens nuncupatur *Cêcaja.* Cf. Lassen. pentap. 12.

Σόανος ἐκ τῆς ὀρεινῆς τῆς Ἀβισσαρέων, sanscritum enim fluminis nomen est *Suvana*, populi *Ab'isâra.* Cf. Lassen. Ind. Alterth. I. 94. Lectio Σαβίσσα ῥέων ita est orta, ut ex voce τῆς littera Σ attracta sit.

Gangis magnitudinem, Herodoto et Ctesiae ignoti,

Praeterea eorundem fluminum apud Graecos afferuntur haec nomina:

Sindʻu vulgo pronunciatur Ἰνδός (Cf. Plin. VI. 23. 1.: Indus incolis Sindus appellatus), in peripl. mar. Erythr. Σίνθος. A Ptolemaeo unum ex ostiis Indi, a Cosma (p. 569. B. Gallend.) emporium appellatur Σίνθος. Idem nomen inesse videtur in voce σίνδων, et in nomine urbis Σινδόμανα s. Σινδονάλια. Strab. 701., Arr. exp. Alex. VI. 16. 5.

Vitastâ, Ὑδάσπης, ap. Ptolem. Βιδάσπης.

Kandrabʻâgâ, Cantabra Plin. h. n. VI. 23. 1., Σανδαβάλας Ptolem., Σανδαροφάγος Hesych. Hoc ominosum nomen (cf. ἀνδροφάγος, Ἀλε — ξανδροφάγος) Alexander in melius mutavit Ἀκεσίνης.

Jrâvatî, Ὑάρωτις Strab., Hyarotes Curt., Ῥούαδις Ptol., vulgo Ὑδραώτης.

Vipâçâ, Hypasis Plin. Curt., Ὕφασις Arr. Diod. XVII. 93. Ὕπανις Strab. Diod. II. 37., Dion. Perieg., qui scriptores nomen immutaverunt ad similitudinem Scythici Hypanis, ab Herodoti tempore noti, Βίπασις s. Βίβασις Ptolem. Cum manifesto errore Megasthenes dixit, Vipâçam in Irâvatim effundi, quum influat in Çatadrum.

Inter Cabuliae fluvios *Cophenis* nomen hodiernum esse Cabuliae flumen, constat inter omnes. De variis nominis formis cf. Eustath. ad Dion. Perieg. 1140.

Malamantus, qui sit, adhuc ignotum est.

Soastum idem flumen esse Lassenius (zur Geschichte der Griech. und Indoscyth. Könige 144.) dixit atque quod Fa hian Sinensis nominavit *Su pho fa su tu* i. e. *Çubʻavastu*, quod nunc vocatur Sewad. Etsi res ipsa non dubia est, tamen, quum Megasthenes et Ptolemaeus uno ore flumen appellaverint Σόαστος et Σούαστος, nomen sanscritum non *çubʻavastu* esse potest, sed quod idem significat *suvastu*.

Garoeas, Alexandri historia notus, ab Arriano exp. Al. IV. 25. 10. nuncupatur Γουραῖος, corruptissime in itinerario Alex. 106. Poturaeus, et apud Strabonem 697. et Ptolemaeum in hac regione urbs quaedam Γῶρυς et Γωρύα commemoratur. Nunc vocatur Pangʻcora.

Sanscrita horum fluminum nomina nondum reperta sunt, quae nescio an insint in catalogo fluminum Mahâbʻâratae VI. 333, ubi deinceps enumerantur *Suvâstu*, *Gâurî*, *Campanâ*.

Πευκελάϊτις sanscrite vocatur *Puśkala*, *Puśkalavatî* cf. Lassen.

Macedones in maius extulerant[30]). Quod flumen inter Euro-

Zeitschrift I. 224, III. 197.), apud Graecos variis nominibus, *Πευκελαῶτις χώρα* Arr. exp. Al. IV. 22. 9, *πόλις Πευκελαῶτις* Arr. exp. Al. IV. 28. 10, *πόλις Πευκέλα* Ind. I, et ex fonte eodem *Πευκολαῆτις πόλις* Strab. 698, Peucolaitis oppidum Plin. h. n. VI. 21. 7, Peucolaitae VI. 23. 8, *ἄγρια φῦλα Πευκαλέων* Dion. Perieg. 1148, *Ποκλαΐς* Ptolem., *Προκλαΐς* Arr. peripl. mar. Erythr. p. 21. Huds.

Tutapus, si respexeris ad verba *μέγας ποταμός*, quae addita sunt, vix aliud flumen esse videtur atque Çatadru: sed ignotum est nomen.

Reliqua nomina, *Saranges, Neudrus, Sinarus, Ptarenus, Saparnus*, quum praeterea nusquam memorentur, non possunt nisi incertissime explicari.

Item gentium nomina h. l. enumerata, quibus sanscritis conveniant et ad quas gentes pertineant, ex parte tantum constat.

Κηκεῖς, *Cêcajae*. Lassen. pentap. 12. Zeitschr. III. 156.

Ἀβισσαρεῖς, *Ab'isârae*. Lassen. pentap. 18. Zeitschr. II. 50. Ritter. Asien II. 1085. Praeterea nomen pronunciatur *Ἀβισάρης* (*Ἀμβισάρης*) Arr. et al., *Ἐμβίσαρος* Diod. XVII. 87, *Ἀποσισάρης* Aelian. h. a. XVI. 39, Tzetz. Chil. III. 941.

Μαλλοί, *Mâlavae*,. Lassen. Zeitschr. III. 196. Accuratius nomen scribitur *Μαλοί* ap. Strab. 701, Steph. Byz. ed. Ald. et Xyland., Arr. Diod. ed Basil.

Ὀξύδρακαι = *Xudracae*. Lassen. Zeitschr. III. 199., *Ὀξύδρακαι* Arr. Strab. Paus. Steph. et al., Oxydracae L. Ampel., *Ὑδρακαι* Strab. 687. ex Megasthene, *Ὑδάρκαι* Dionys. ap. Steph. Byz., *Συρακοῦσαι* Diod. XVII. 98, *Σκύδροι* (V. V. L. L. *Σκύδροι*, *Σκόθροι*, *Σκύθροι* Dion. Perieg. 1142, Sydraci Plin. h. n. XII. 12, Sygambri. Iustin. VIII. 9. 3.

Assacenae obscuri sunt, Assacanos autem s. Assacenos Alexandri tempore scimus inter Indum et Guraeum habitavisse. Arr. exp. Al. IV. 25. 7, Ind. 1, Strab. 698, Curt. VIII. 10. 22, Itiner. Alex. 106.

Cambistholorum nomen sanscritum nescio an sit *Capist'ala* i. e. simiarum regio, in quo nomine littera *M* ante litteram *B* eodem modo inserta sit, quo in nominibus *Παλίμβοθρα*, *Ἐμβίσαρος*. Enumeratur Capist'ala inter Indicas terras Varâsanh. As. Res. VIII. 338. Mire Vilso (Vis'n'u-Purân'. 194.) Cambistholos eosdem esse suspicatus est atque Cambôg'as, a quibus quum nomine tum situ multum absunt.

Ceterum, quum tot flumina in Indum effundi ne Alexandri

paeos omnes primus et vidit et descripsit Megasthenes. V. Arr. Ind. 4. 2—7, Plin. h. n. VI. 22. 1, Strab. 702. Id quod antea Curtii auctor (VIII. 9.) retulerat, iam ab ortu eum eximium esse, repetit ille: sacrorum viatorum sine dubio haec erat observatio. Latitudinem minimam explere ait VIII. mill. pass. i. e. stadia LXVI., mediam C. stadia; multis locis stagnare flumen, ut ripa ulterior non possit conspici. Quae descriptio in universum excedit modum etiam pluvii temporis: quibusdam tamen locis convenire videtur. Minime altitudinem auxit, quam XX. orgyias efficere dicit, ubi Plinius negligenter, ut solet, *ὀργυιά* voce passus transtulit.

Flumina in Gangem influentia XIX. Megasthenes enumeraverat, quorum Arrianus l. l. haec nomina XVII. attulit:[31])

---

quidem comites tradiderint, facile mireris, Plinium VI. 23. 1. etiam undeviginti cognovisse. Sed admirationem ipsa nomina tollunt: nam, quum inter cetera memoret *Cantabram*, *tres alios afferentem*, hoc K'andrab'âgae nomen esse vides, quae tres fluvios etiam Megasthene auctore recipit. His fluviis duplicatis, certe fit, ut numerus undeviginti fluminum efficiatur.

Nomina Indica graece exprimendi tres distingui possunt modi et aetates. Nam qui ante Alexandrum scripserunt, nomina solent in Graecum vertere, qui sequuntur, ea reddere ad sonum, sed paullo licentius, et ubi fieri potuit, cum paronomasia quadam, ultimi, Ptolemaeus, auctor peripli maris Erythraei, Cosmas quam accuratissime ea ad sonum litteramque exprimere. Ita etiam in hac re parva aperte perspicitur, crescente scientia paulatim linguae sensum teneriorem apud Graecos interiisse.

30) Plut. Alex. 62, Diod. XVII. 93, Curt. IX. 2. Cf. Aelian. h. a. XII. 41.

31) Nominum multorum explicatio est difficillima, paucorum adhuc successit. Postquam Rennellius, Mannertus, Wilfordius in hac re explicanda industriam posuerant, iterum fuit Schlegelii et Lassenii, nomina, quantum fieri potuit, illustrare. Ita constant haec nomina:

Σῶνος, sanscr. *Çôn'a.*

Ἐραννοβόας, *Hiran'javâha* (i. e. *χρυσοφόρος*, aurifer), Çôn'ae cognomen.

Καΐνας, Cainas.	πάντες πλωτοί.
Ἐραννοβόας, Erannoboas.	
Κοσσόανος, Cosoagus.	
Σῶνος, Sonus.	καὶ οὗτοι πλωτοί.
Σιττόκεστις, (V. L. Σιττόκατις).	
Σολόματις.	
Κονδοχάτης.	

Κονδοχάτης, *Gand'acavatî* (i. e. ῥινοκερόεις), altera forma nominis Gand'acî.

Iomanes, *Iamunâ*.

Κομμενάσης, *Carmanâçâ* ex sententia Rennellii et Lassenii (Ind. Alterthumskunde I. 130). Sed dubitationem dat id quod additur μέγας ποταμός.

Praeterea explicare possum, quo nomine ab Indis appelletur Ὀξύμαγις, ἐπὶ Παζάλαις καλουμένοισι ξυμβάλλων τῷ Γάγγῃ. Iamdiu enim constat inter omnes, eam gentem, quam Megasthenes appellavit Παζᾶλαι, Plinius h. n. VI. 22. 4. Passalae, Ptolemaeus Πασσᾶλαι, sanscrite nuncupatam esse *Pank'âla*, et habitavisse circa Canjacubg'am in ea mesopotamia, quae Iamunae et Gangi interiacet. Hanc autem regionem vel potius vicinam perfluit *Ixumatî* (i. e. arundine saccharifera abundans), ita nominata, quia regio, quae inter Vipâçam et Gangem secundum Himâlajam extenditur, arundinis sacchariferae est uberrima, de qua re cf. Ritterum Asien II. 847. Memoratur Ixumatî Harivanç. 9507, 12829, accuratius Râmâj. II. 68, 17, quo loco nuntiorum iter describitur. Nuntii, Gangem Hâstinapurae transgressi, inde in terram Pank'âlam perveniunt: et per loca quaedam adhuc ignotas profecti, Culindam urbem attingunt, et transgressi Ixumatim per mediam Bâhîcarum terram ad Sudâmanem montem, deinde ad Vipâçam perveniunt. Etsi Culindarum gentem novimus inter fontes Vipâçae et Gangis habitâsse, (cf. Lassen. Zeitschr. II. 21. seq.) tamen cui urbi Culindae nomen fuerit nescimus. Itaque etiam hoc relinquitur in dubio, quod flumen Ixumatî appellatur: nam Iamunam id esse, vix audeo contendere. In nomine graeco litterae Γ et Τ videntur esse permutatae, ita ut legendum sit Ὀξύματις.

Cetera, quae de nominibus illis VV. DD. dixerunt, non excedunt opinionum auctoritatem. Inanem et memoratu non dignam aliam super aliam coniecturam protulit Forbigerus (Alte Geographie II. 1844). *Andomatim* (Ἀνδώματις ἐκ Μανδιαδινῶν) Lassenius egregie explicavit ex terra *madj'andina* i. e. meridionali profluere, et sanscrite nuncupari *and'amatî* (i. e. caecus), deinde idem flumen And'amatim

Σάμβος.
Μάγων.
Ἀγόρανις (V. L. Ἀγύρανις).
Ὤμαλις.
Κομμενάσης (V. L. Κομμινάσης), μέγας ποταμός.
Κάκουθις.
Ἀνδώματις ἐξ ἔθνεος Ἰνδικοῦ τοῦ Μανδιαδινῶν ῥέων.
Ἄμυστις. Ostium παρὰ πόλιν Καταδούπην,
Ὀξύμαγις (Legendum videtur Ὀξύματις.) Ostium ἐπὶ Παζάλαις (V. L. Πασάλαις) καλουμένοισι.
Ἐρέννεσις (V. L. Ἐῤῥένυσις, Ἐρινέσης). Ostium ἐν Μάθαις, ἔθνει Ἰνδικῷ.

---

esse atque Tâmasam (i. e. obscurus) coniecit. Ind. Alterth. I. 130. *Cossoanum s. Cosoagum* esse *Cauçicim*, est coniectura Wilfordii et Schlegelii. As. Res. V. 272, Schlegel. Ind. Biblioth. II. 402. Non modo propius, sed etiam accuratissime nomini Cosoagus responderet sanscritum *côs'avâha* i. e. θησαυροφόρος, quod nomen idem significaret atque hiran'javâha, Çôn'aeque cognomen non minus aptum esset. Quam coniecturam nominis collocatio confirmat, quum vocem Cosoagus et Arrianus et Plinius inter nomina Çôn'ae Σῶνος et Ἐραννοβόας collocaverint. Minus autem eorum sententia potest probari, qui nomine *Cainas Cênam* significari voluerunt. Primum enim, tametsi littera sanscrita *ê* ubique littera η, nusquam litteris αἰ graece redditur (cf. apud Megasthenem ipsum voces Μηρός et Mêru, Σουρασῆναι et Çûrasêna), tamen Arrianus et Plinius uno ore *Cainas* nomen pronuntiant, deinde Cêna in Iamunam non in Gangem influit, postremo Plinii descriptio, licet de multis rebus sit obscura, haud dubie ad alias regiones spectat inter septentriones et orientem sitas.

Vox Ἐρέννεσις cum nomine urbis clarissimae *Varân'asî* mire congruit, quod ex duorum fluminum nominibus compositum etiam in Indicis fluminum catalogis omnibus coniunctum legitur. Sed ne explicationi isti fides deesset, Matharum obscuritas esset illustranda, quorum nomen sanscritum esse *Mag'ada*, conjici potius quam probari potest. Neque minus est ignotum nomen Καταδούπη, cuius ultima pars ad similitudinem vocis sanscritae *dvipa* i. e. insula) accedit.

Ὤμαλις convenit cum consueto fluminis nomine *Vimalâ*. Cf. Hariv. 9517.

His ex Plinio (h. n. VI. 22. 6.) addi potest duodevicesimus *Jomanes*, quod nomen apud Arrianum (Ind. 8. 5.) corrupte scribitur Ἰωβάρης.

Deinde etiam de *Çila*, fabuloso Indiae fluvio, dixit, per Silorum terram fluente; cuius aqua tam levis sit, ut nihil innatet, omnia mergantur [32]).

Praeter haec alia multa fluminum nomina commemoraverat: LVIII. in universum praeter Gangem et Indum esse Indiae fluvios, navigabiles omnes [33]).

Pauci praeterea loci traduntur, qui ad geographiam spectant. Praeter fabulosas gentes in extremis septentrionibus memoratur

Καύκασος (*Himâlaja*) et *Μηρός* (*Mêru*). Diod. II. 38.

Δέρδαι (*Darada*), qui aurum formicis eriperent. Strab. 706.; in media India

Πράσιοι (*Prâk'ja*), quorum caput *Παλίβοθρα* (*Pât'alipulra*) accurate describit apud Strab. 702. Arr. Ind. 10. 3—4.

Σουρασῆναι (*Çûrasêna*), circa Iamunam habitantes, Dionysi cultores, eorumque oppida

Μέθορα (*Mat'urâ*) et *Carisobora* (VV. LL. Cyrisoborca, Chrysobora, *Κλεισόβορα*; quod sanscrite

32) Arr. Ind. 6. 2—3., Strab. 703., Diod. II. 37., et ex hoc anonymus, quem Ruhnkenius ad Callimach. fragm. p. 448. iam laudavit, et cuius narratio nunc legitur apud Boisson. Anecd. gr. I. 419. Nomen apud Diodorum scribitur *Σίλλας*, apud Strabonem *Σιλίας*, optime in epitome Strab. et in anecd. graec. *Σίλας*. Ctesiae locos collegit Bähr. 369. Hanc quoque fabulam Lassenius (Zeitschrift II. 68.) litteris Indicis illustravit: Indi septentriones versus Çilam flumen esse putant, in quo immersa in lapides omnia vertantur: qua re sane efficitur, ut omnia mergantur, neque quidquam innatet (cf. Mahâb'. II. 1858.). *Çilâ* idem valet atque lapis (cf. annot. 52.).

33) Arr. Ind. 5. 2. — Plinius h. n. VI. 21. 5. hoc refert: *Seneca etiam apud nos tentata Indiae commentatione sexaginta amnes eius prodidit, gentes duodeviginti centumque.* Cf. Megasthen. apud Arr. Ind. 7. 1. Non magni igitur Senecae librum aestimare possumus, qui tantas partes ex Megasthene descripserit.

nominari *Cris'n'apura* i. e. Cris'n'ae oppidum coniecit *Bohlen*. Das alte Indien I. 233.) Arr. Ind. 8. 5, Plin. h. n. VI. 22. 6.

Pandaeam[34]) deinde terram novit Arr. Ind. 8. 7. Plin. h. n. VI. 23. 6., et in ultimis finibus Indiae

Taprobanen (Tâmraparn'î), flumine divisam, incolas Palaeogonos[35]) *vocari, auri margaritarumque fertiliores quam Indos*. Plin. h. n. VI. 24. 1.

Gentes Indiam continere in universum centum duodeviginti Megasthenes dixerat (Arr. Ind. 7. 1.)[33]), urbium tantam multitudinem, ut enumerari non possent (Arr. Ind. 10. 2.), multos magnosque montes, multas amplasque planities (Diod. II. 35.). Si reputaveris, Diodorum iisdem vagis verbis locutum esse de fluminibus (II. 37.: ἔχει καὶ

34) Gens nominatur *Pandae* apud Plin. h. n. VI. 23. 6, Solin. 52, Dionys. ap. Steph. Byz. s. v., terra Πανδαίη a Megasthene apud Arr. Ind. 8. 7, 9. 3. et a Polyaeno I. 3. 4. Utram gentem hac voce significet, *Pând'jas* in australi Indiae parte habitantes et in carminibus epicis iam commemoratos (ex. c. Mahâb'. V. 578, II, 1121.) aut *Pând'avas* epicis carminibus illustratos, certo constitui non potest: illam coniecturam nomen Πανδαίη Indico nomini Pând'ja accuratissime conveniens, et margaritarum mentio, et maturae pubertatis feminarum descriptio, hanc aliae narrationis partes ita iuvant, ut Lassenius hanc malit. Zeitschr. V. 252.

35) Palaeogonorum nomen in hunc modum explicare studuit Lassenius (dissert. de insula Taprob. p. 9.): *Dicamus, notam fuisse Megastheni fabulam Indorum, qua primi insulae incolae Râxasae s. Gigantes progenitorum mundi filii fuisse traduntur. Hos minime inepte Palaeogonorum appellatione significare poterat.* Contra hanc sententiam dicere liceat, Megasthenem hac voce tam insolita et ab usu quotidiani sermonis tam remota gentis ipsum nomen indicare voluisse, non describere gentem, deinde Megasthenem solere nomina non vertere, sed ad sonum et cum paronomasia quadam reddere, postremo, Taprobanes et urbis principis nomen Παλαισιμούνδου brevi post inveniri voci Παλαιόγονοι simillimum. Itaque, quum Lassenius capitis nomen Παλαισιμούνδου sanscrite vocari *pâli-simânta* (i. e. doctrinae sacrae caput) egregie exposuerit, Palaeogonorum nomen ex voce sanscrita *pâli-g'anâs (i. e. doctrinae sacrae homines)* explicare maluerim.

ποταμοὺς πολλοὺς καὶ μεγάλους πλωτούς), quae tamen singula Megasthenem vides persecutum, et Plinii si addideris hanc sententiam: *Megasthenes et Dionysius - - vires quoque gentium prodidere* VI. 21. 3., de hac re ampla Indicon pars perdita videtur.

Maiorem Indiae partem campestrem esse, Megasthenes deinde refert (Arr. exp. Alex. V. 6. 5.), non recte quidem, sed quantum ipse vidit iudicans. Binas per annum esse aestates messesque binas: hibernae sementis fructus esse varias frumenti species (quarum ab Eratosthene dinumerantur *πυροί, κριθαί, ὄσπρια καὶ ἄλλοι καρποὶ ἐδώδιμοι, ὧν ἡμεῖς ἄπειροι*), vernae sationis oryzam, bosmorum, sesamum, milium (, linum). Diod. II. 36., Strab. 693. cf. Eratosth. ap. Strab. 690. Diodorus ea, quae de plantis Indicis dixit, brevius ex illo et ita exscripsit, ut a singulis abstineret, alii scriptores Megasthenis locos afferunt de his plantis arboribusque:

de ebeno, Strab. 703.
de palma, cuius nomen sanscritum *tala* (*τάλα*) commemorat, Arr. Ind. 7. 3.
de ingenti arundine Indica. Strab. 710—711.
et quae Dionysi expeditionis esse documenta et reliquias credidit
de vite agresti, de hedera, de lauro, de myrto, de buxo Strab. 711. (687—688., Arr. Ind. 5. 9.),
de arboribus marinis. Antigon. Caryst. 147. (Plin. h. n. VI. 24. 6.) cf. Foe-koue-ki p. 90.

Ex bestiis Indicis descripsit
tigrem Bengalicum (Strab. 703.), quem inter omnes Graecos primus vidit; deinde in quadam parte accuratius Aristotele vel hodiernis zoologis
elephantum, cuius venatum copiosius exposuit, Strab. 704—705., Arr. Ind. 13. 14., Diod. II. 42.
varias simiarum species, Strab. 703. 710., Aelian. h. a. XVII. 39.
canes Indicos, Strab. 703.

antilopas (*ἵππους μονοκέρωτας ἐλαφοκράνους*), Strab. 710.

gymnotum electricum, Aelian. h. a. VIII. 7.

serpentes volucresque scorpiones, Strab. 703. Aelian. h. a. XVI. 41.

boam constrictorem, Plin. h. n. VIII. 14. 1., Solin. 52. cf. Strab. 70.

concham margaritiferam [36]), eiusque venatum, Arr. Ind. 8. 8—13., neque Taprobanen eius uberrimam esse ignorat, Plin. h. n. VI. 24. 1.

formicas aurum effodientes, de quibus infra disseremus.

Ex metallis haec in India inveniri dicit: *πολὺς μὲν ἄργυρος καὶ χρυσὸς, οὐκ ὀλίγος δὲ χαλκὸς καὶ σίδηρος, ἔτι δὲ κασσίτερος καὶ τἄλλα τὰ πρὸς κόσμον τε καὶ χρείαν καὶ πολεμικὴν παρασκευὴν ἀνήκοντα.* Diod. II. 36. Strabone auctore memoravit etiam *λίθους λιβανόχρους, γλυκυτέρους σύκων ἢ μέλιτος.* Strab. 709. De auro plures loci afferuntur: aliud effodi (Arr. Ind. 8. 13.), aliud formicis eripi (Strab. 706.), aliud in fluminibus auriferis inveniri [37]) (Strab. 711.); eius uberrimam esse Taprobanen.

Si cogitamus, quantam fructuum copiam India gignat, quanta admiratione Macedones eam spectaverint et ipse Megasthenes, ut adeo ex brevi Diodori (II. 35—36.) epitome satis apparet, si adiicimus hanc Diodori sententiam II. 36.: *οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ ἄλλους ἐδωδίμους καρποὺς φέρει, δυναμένους τρέφειν ζῶα, περὶ ὧν μακρὸν ἂν εἴη γράφειν,*

---

36) H. l. etiam hoc legitur: *μαργαρίτην — — οὕτω τῇ Ἰνδῶν γλώσσῃ καλεόμενον.* Idem retulerat Chares Mitylen. ap. Athen. III. p. 93.: *ἐξαιροῦντες ὀστᾶ λευκὰ προσαγορεύουσι μαργαρίτας.* Quod neque accurate neque falso est dictum, quum *μαργαρίτης* a voce *μάργαρος*, *μάργαρος* autem a voce sanscrita *mang'ara* (i. e. margarita) ducendum sit. Cf. Pott: Etymolog. Forschungen. T. II. p. 470.

37) Etsi arena aurifera non deest eis fluminibus, quae a septentrionibus in Gangem influunt, tamen fieri potuit, ut propter solam vocem *hiran'javâha* (i. e. aurifer), Çôn'ae cognomen, sententiam illam Megasthenes proponeret.

deinde huius epitomes negligentiam, postremo ceteros locos leviter tantum et quasi per transcursum afferri, licet concludere, ex ea parte Indicon, quae ad naturalem historiam pertinet, pleraque desiderari.

Sed copiosissime gentis vitam moresque enarravit, sive prae ceteris hanc partem diligenter conscripsit, sive ex hac parte plurimum traditum est. Alexandri Macedones hanc rem paene omiserant, quum ingenti eorum quae viderant copia eo pervenissent, ut nihil amplius, nisi mira et insolita observarent; ad quem numerum solus Nearchus non pertinet, vir simplex et perspicax. Sed primus Megasthenes per omnes partes Indorum vitam perscrutari studuit, et sicut in hac re fuit princeps, ita, quod sciamus, ultimus quoque inter omnes Graecos Indicas res ita descripsit, ut a republica et a deorum cultu usque ad singulas res domesticas omnia pertractaret.

Constitutionem Indicarum tribuum (qua voce Lusitanicam *casta* transferre liceat) Alexandri comites non animadvertisse, est quod miremur, quum in Aegyptum profecti eandem ibi invenerint. Primus eam perspexit Megasthenes. Qui loci huc pertinent, leguntur apud Strab. 703—704. 707, Arr. Ind. 11—12., Diod. II. 40—41., et qui nonnulla mutavit, apud Plinium h. n. VI. 22. 2—3., et ex eo apud Solinum 52. Neque quod sciamus, eam huius rei scientiam, cuius Megasthenes fuit auctor, ullus postea Graecus scriptor vel aequavit vel auxit[38]).

Megasthenes Indos in septem tribus[39]) dispositos esse ait, quas in hunc modum enumerat:

---

38) Nonnisi leviter et obscure hanc rem attigit Porphyr. abst. IV. 17. et Apulej. II. p. 116. Bipont.

39) Apud Strabonem et Diodorum tribus appellantur μέρη, apud Arrianum γενεαί, ita ut illa voce Megasthenes usus esse videatur. Megasthenes autem, quum tribus quatuor Indicas enarraret, in eo erravit, quod et Graeca ratione et ab aula Pât'aliputrica hanc rem perlustravit. Sine hac altera causa vix fieri poterat, ut sextam et septimam tribum in istum modum componeret. Sed Megasthenis

I. *Φιλόσοφοι*. Strab. Diod. *Σοφισταί*. Arr.
II. *Γεωργοί*. Strab. Arr. Diod.
III. *Ποιμένες καὶ θηρευταί*. Strab. *Βουκόλοι καὶ ποιμένες καὶ καθόλου πάντες οἱ νομέες*. Diod. *Ποιμένες τε καὶ βουκόλοι*. Arr.
IV. *Οἱ ἐργαζόμενοι τὰς τέχνας καὶ οἱ καπηλικοὶ καὶ οἷς ἀπὸ τοῦ σώματος ἡ ἐργασία*. Strab. *Τεχνῖται*. Diod. *Τὸ δημιουργικόν τε καὶ καπηλικὸν γένος*. Arr.
V. *Πολεμισταί* Strab. Arr. *Τὸ στρατιωτικὸν μέρος*. Diod.
VI. *Ἔφοροι*. Strab. Diod. *Ἐπίσκοποι* Arr.
VII. *Οἱ σύμβουλοι καὶ σύνεδροι τοῦ βασιλέως*. Strab. *Τὸ μέρος τὸ βουλεῦον καὶ συνεδρεῦον τοῖς ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευομένοις*. Diod. *Οἱ ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευόμενοι ὁμοῦ τῷ βασιλεῖ*. Arr.

Ex eo, quod in hac parte Strabo, Diodorus et Arrianus ad verbum fere inter se consentiunt, Megasthenis narrationem satis integram superesse videmus.

---

tribus ad Indicas quatuor revocare, facillimum est. Ita enim cum alteris alterae congruunt:

Prima tribus Brahmanas continet, neque tamen omnes, sed eos tantum, qui sacris praesunt. Cui tribui Megasthenem ascetas falso addidisse, apparet ex hoc Arriani loco: *Μοῦνον σφίσιν ἀνεῖται, σοφιστὴν ἐκ παντὸς γένεος γενέσθαι*. Ind. 12. 9. cf. Strab. 713.

Altera tribus Vâiçjarum partem agrum colentem,

tertia impuros quosdam continet. Man. X. 48—49.

Quarta homines duarum tribuum comprehendit, et Vâiçjas (*φόρον τελοῦντας*) et Çûdras (*ἀτελεῖς καὶ μισθὸν προσλαμβάνοντας*).

Quinta tribus cum Indica altera convenit.

In *sexta* iterum duarum tribuum partes commixtae sunt, et vulgares spectatores, quos regem Indica lex ex omni tribu colligere iubet (cf. Man. VII. 154. et Cullucab'at't'ae commentarium), et eos, qui ad officiales inspiciendos emittebantur. Ad hanc alteram partem solam pertinere possunt haec Strabonis verba: *καθίστανται δ' οἱ ἄριστοι καὶ πιστότατοι*.

Septimam tribum Brahmanae ei efficiunt, quos in prima tribu collocare Megasthenes omisit.

Deinde quomodo regnum Prâk'jarum administraretur, longe et diligenter exposuit. Cf. Strab. 707—709. Neque ceterarum gentium res publicas eum neglexisse, Plinius est auctor, affirmans: *Megasthenes et Dionysius - - vires quoque gentium prodidere.* h. n. VI. 21. 3. Sed Graecis geographis istae res tam remotae et ab usu communi tam alienae videbantur, ut hanc partem integram relinquerent. Quo factum est, ut duntaxat unus locus de hac re supersit, quem Arrianus attulit Ind. 8. 7. cf. Plin. h. n. VI. 23. 6. Pandarum ibi copiae enumerantur. Plinius autem plurima, quae huiusmodi narravit, Megastheni videtur debere.

De Indicis deis nemo ante Alexandrum dixit. Macedones quum in Indiam profecti essent, quo modo ubique Graeci solent, Indicos deos eosdem esse atque Graecos existimabant. Çivae cultu effrenato et quasi bacchico, et levi quadam similitudine rerum, quae utrique deo erant attributae, et nominum, quae ad mythicam deorum fictionem pertinebant, movebantur, ut Çivam non alium atque Dionysum esse arbitrarentur. Neque, postquam Euripides Dionysum orientem peragrasse confinxerat, quidquam tam facile erat, quam deum luxuriantis fecunditatis etiam in Indiam uberrimam profectum opinari. Quam ut firmarent opinionem, nominum levi et fortuita convenientia utebantur. Ita *Mêru* mons vestigium videbatur dei ἐκ Διὸς μηρου parti, ita Xudracas Dionysi prolem putabant, quia vitem ibi nasci, regesque sumptuosas pompas instituere videbant[40]. Neque minus leviter Çris'n'am, alterum deum, quem cultum videbant, Herculem esse interpretabantur, et ubicunque sicut apud Çibas[41]) vel pelles ferinas vel clavas vel similia conspiciebant, Herculem aliquando moratum esse opinabantur.

Sunt qui dicant, fabulae auctores praeter ipsum Alexandrum eos fuisse, qui Alexandro proximi fuerint. At in hac re non sola originem eam habere, sed maxime in in-

40) Strab. 687. 701.

41) Strab. 688.

dole illius aetatis pronae ad superbas opiniones, ex eo apparet, quod omnes sine ulla dubitatione fidem ei habuerunt. Neque Megasthenes aliter de hac re iudicavit, quod vituperare est ut probrum ei obiicere, quod illa aetate vixerit. Primus narravit tantum, ut dubitare non amplius possimus, quibus deis Dionysi nomen et Herculis Graeci attribuerint. Quam partem servaverunt Strabo 711, 687, Arrianus Ind. 7—9, Diodorus II. 38—39 [42]).

Evidentissime *Cris‘n’am* describit Herculis nomine, quem, cui responderet, ex Alexandri scriptoribus vix certo poteras definire. Eum coli ait ab incolis planitiei, Pât’aliputrae etiam ut urbis conditorem, maxime *Methorae et Carisoborae* (Plin. h. n. VI. 22. 6, Arr. Ind. 8. 5.), in oppidis Çûrasênarum ad Jamunam sitis: re vera, ut inter omnes constat, Indi adhuc *Mat‘urae* Cris‘n’am natum esse credunt, et hodie quoque urbem ei sacram habent, altera autem urbs *Carisobora* ex ipso Cris‘n’ae nomine nuncupata videtur (*Cris‘n’a-pura*). Megasthenes, dum γηγενέα illum appellat, ex parte quidem iam reliquit Macedonum opinionem, sed in reliquam descriptionis partem Herculis Graeci respectus vim magnam habuit [43]).

---

42) Diodori enarratio, si cum Strabone et Arriano eam contuleris, in hac parte non tanto est brevior, quanto solet: ipse Diodorus tamen sese in breve Megasthenis relationem coegisse, his verbis indicare videtur: μυθολογοῦσι δὲ παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς οἱ λογιώτατοι, περὶ ὧν καθῆκον ἂν εἴη συντόμως διελθεῖν. Sed coniicere licet, Diodorum etiam quo alio loco (III. 63.) Dionysum Indicum describit, secutum esse Megasthenem.

Totum illum locum, quo Megasthenes de deis Indicis, de Brahmanis et Sarmanis dixit (ap. Strab. p. 711—714.), deinde alterum, qui legitur apud Strabonem p. 710., ad Onesicritum fortasse referendum esse contendit *Geierus* p. 379., qui neque accurate, neque aliqua imbutus rerum Persicarum et Indicarum cognitione, „Alexandri M. historiarum scriptores aetate suppares“ nuper edidit. Quam opinionem vix concepisset ille, si paulo diligentius inspexisset Strabonem et Clem. Alex. Strom. I. p. 132. Sylb.

43) Aliquam partem narrationis docte explicavit Lassenius: Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes. V. 252.

Alterum deum, quem Dionysum Graeci vocant, eundem atque *Çivam* esse, ex descriptione comitum Alexandri iam satis apparet: eum Megasthenes magis quam Cris'n'am ad similitudinem Graeci dei descripsit. Repetit easdem causas, quas illi enumeraverant, ut hunc deum eundem esse atque Dionysum demonstrarent: Indicum enim deum ait ad Mêrum pertinere, coli magnificis pompis et more quasi bacchico, et auctorem fuisse non modo vitis frumentique sed etiam vitae eruditae. Cur autem Dionysum ab occidente venisse eodemque decessisse crediderit, nondum est explicatum.

Eo, quod de Cris'n'a et Çiva dixit, quum deorum istorum cultum antiquissimum esse satis constet, nullo modo explevit nostram Indiae antiquae scientiam. Maius erat et gravius, de Buddhaicis dicere. Neque Alexandri comites alteram praeter Brahmanicam in India esse rerum divinarum doctrinam intellexerant, neque qui hos antecesserant. Megasthenes refert, in India esse *δύο γένη φιλοσόφων, ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ, τοὺς δὲ Σαρμάνας* Strab. 712[44]). Hoc igitur est quaestionis caput, Sarmanae qui sint. Quos alii Buddhaicos esse dixerunt, negaverunt alii, utrique causis non levibus usi. Attamen eorum sententia propius videtur ad veritatem accedere, qui esse eos Bud-

44) Eundem locum Clemens Alexandrinus Strom. I. p. 131. Sylb. tradidit, quem Megasthene auctore usum esse, ex locis in hunc modum compositis facile intelligitur:

Strab. 712—713.	Clem. Alex. Strom. I. 131.
Ἄλλην δὲ διαίρεσιν ποιεῖται περὶ τῶν φιλοσόφων,	*Προέστησαν τῆς φιλοσοφίας - - Ἰνδῶν τε οἱ γυμνοσοφισταὶ, ἄλλοι τε φιλόσοφοι βάρβαροι·*
δύο γένη φάσκων,	*διττὸν δὲ τούτων τὸ γένος,*
ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ,	*οἱ μὲν Σαρμᾶναι αὐτῶν,*
τοὺς δὲ Σαρμάνας.	*οἱ δὲ Βραχμᾶναι καλούμενοι·*
Τοὺς δὲ Σαρμάνας,	*καὶ τῶν Σαρμανῶν*
τοὺς μὲν ἐντιμωτάτους Ὑλοβίους ὀνομάζεσθαι	*οἱ Ὑλόβιοι προσαγορευόμενοι*

dhaicos contendunt, ut inter Graecos primum memorasse Buddhaicos Megasthenem existimare malim[45]).

Et doctrinam Brahmanarum exquirere Megasthenes studuit, et quamquam non satis succedere hoc potuit, tamen plura de hac re acute observavit. Exempli causa ne hoc quidem eum fugit, quod Brahmanae rerum principia quinque agnoscunt, ex quibus omnia constent: addunt enim quintum quoddam, quod âcâçam i. e. aethera appellant Tota, quae huc pertinet, narratio legitur apud Strab. 712—

ζῶντας ἐν ταῖς ὕλαις	*οὔτε πόλεις οἰκοῦσιν, οὔτε στέγας ἔχουσιν·*
ἀπὸ φύλλων καὶ καρπῶν ἀγρίων· ἐσθῆτας δ' ἔχειν ἀπὸ φλοιῶν δενδρίων,	*δένδρων δὲ ἀμφιέννυνται φλοιοῖς,*
	καὶ ἀκρόδρυα σιτοῦνται,
	καὶ ὕδωρ ταῖς χερσὶ πίνουσιν·
ἀφροδισίων χωρὶς	*οὐ γάμον οὐ παιδοποιΐαν ἴσασιν (ὥσπερ οἱ νῦν Ἐγκρατηταὶ καλούμενοι).*
καὶ οἴνου·	

Deinde dissentiunt:

τοῖς δὲ βασιλεῦσι συνεῖναι, δι' ἀγγέλων πυνθανομένοις περὶ τῶν αἰτίων, καὶ δι' ἐκείνων θεραπεύουσι καὶ λιτανεύουσι τὸ θεῖον.	*εἰσὶ δὲ τῶν Ἰνδῶν οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, ὃν δι' ὑπερβολὴν σεμνότητος ὡς θεὸν τετιμήκασι.*

Porro quum nomen *Σαρμᾶναι*, quod Clemens tradit, sanscritae voci *çraman'a* (i. e. *asceta*) ad litteram respondeat, falsa esse vides nomina *Γαρμᾶναι* et *Γερμᾶναι*, quae in codicibus Strabonis omnibus leguntur. *Lassenius*, rescribendum esse apud Strabonem *Sarmanas* quamquam non dubitat, tamen mirum esse arbitratur, in omnes libros corruptam istam scripturam irrepsisse. Rhein. Mus. 1833. p. 180. Quod mirum vix esse videtur, quum litterae *ΣΑ* arcte conscriptae a forma syllabae *ΓΑ* non multum absint, et quum ex uno Strabonis codice omnes descripti sint. Sicut Strabonis vox *Γαρμᾶναι*, ita etiam Clementis vox inanis *Ἀλλόβιοι* ex Strabone et ex sanscrita voce *vanaprast'a* (i .e. *ὑλόβιος*) in nomen *Ὑλόβιοι* immutanda est. Idem inest verbum in nomine *Ζαρμανοχήγας* (i. e. çraman'âk'ârja), quod apud Strabonem 719. 720. invenitur.

45) Diligenter alteram sententiam *Bohlenius*, *Lassenius* alteram cum

713, 718, Arr. exp. Alex. VII. 2. 5—9, quibuscum cf. Pseudo-Orig. philosoph. 905—906 Delar., Pallad. de Brachm.

---

ea, qua solet, doctrina et omnium rerum circumspectione defendit *Bohlen.** de buddhaismi origine et aetate definiendis, *Lassen.* de nominibus, quibus a veteribus appellantur Indorum philosophi. Rhein. Mus. 1833. p. 171—190.). Bohlenius, ut Sarmanarum nomine Buddhaicos significari ostendat, primo nominis argumento utitur: Sarmanarum enim nomen respondere dicit tum sanscritae voci *çraman'a,* qua Buddhaici appellentur, tum nomini *Σαμαναῖοι*, quo verbo ex Palica voce *sammana* (i. e. *çraman'a*) formato quin Graeci Buddhaicos significaverint, nihil dubitationis habet. Contra dixit Lassenius, *çraman'a* non modo Buddhaicis, sed saepissime etiam Brahmanis attribui. Sed ipse nunc cum ea, qua est, humanitate mecum communicavit V. D., vocem *çraman'a* perpetuum Buddhaicorum ascetarum nomen, Brahmanicorum rarius esse. Itaque hoc Bohlenii argumentum, etsi ad expediendam rem non sufficit, tamen non infirmum manet.

Addidit deinde Lassenius hanc sententiam: *Si usum utriusque vocabuli apud veteres respexeris, invenies nullo prorsus loco unum pro altero poni aut invicem permutari: cuius constantiae certa quaedam causa esse debet.* Quod argumentum haud scio an aliquantum firmitatis habeat. Sarmanae enim bis tantum, Samanaei, nisi fallor, quinquies a Graecis Romanisque scriptoribus omnibus memorantur. (Bardesan. ap. Porphyr. abstin. IV. 17, Clem. Alex. Strom. I. 305, Origen. contra Celsum I. ed. Delarue. Paris. 1733. T. I. p. 343, Alexander Polyhist. ap. Cyrill. contra Julian. IV. p. 133. E. ed. Paris. 1638. Hieronym. ad Jovinian. II. ed. Paris. 1706. T. II. P. 2. p. 206.) Qui numeri, si scriptorum fontes exquisiveris, ad tres rediguntur, ita ut Sarmanas solus *Megasthenes*, Samanaeos *Alexander Polyhistor* et *Bardesanes* memoraverit. Quid igitur in eo est mirum, quod Megasthenes, si Buddhaicos significare voluerit, sanscrita voce *çraman'a* usus est, postea vero Bardesanes et Alexander Polyhistor palica voce *sammana,* quae cum lingua palica postea in usum venerat? Quid mirum in eo, quod scriptores, qui illis auctoribus usi Sarmanas vel Samanaeos memorant, nomina non permutaverunt? Quod si fecissent, quum in re tam longinqua et incognita nonnisi ad verbum illos excribere possent, magis mirum videri poterat.

Alterum Bohlenius argumentum attulit convenientiam morum,

p. 14. seq. Philostr. Apoll. III. 34., pars quaedam levioris momenti apud Clem. Alex. Strom. I. p. 132, Euseb. prae-

---

qui in Sarmanis et Samanaeis simillime describantur. Lassenius contra, hoc exemplum impugnans, docte exposuit, multum interesse inter Sarmanarum vitam et Samanaeorum, qualis utraque a veteribus describatur, easque res, quae utrisque communes memorentur, communes esse omnium sectarum Indicarum ascetis. Quod argumentum, etsi gravissimum est, non ita solvit quaestionem, ut de hac re dubitari non amplius possit. Nam haud omittendum est, neque Sarmanarum descriptionem neque Samanaeorum integram superesse, totasque igitur, quarum singulae partes nunc inter se discrepare videntur, facillime potuisse consentire.

Contendit deinde Lassenius, satis apparere ex his verbis, quae apud Clementem l. l. adduntur: εἰσὶ δὲ τῶν Ἰνδῶν οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν etc., Sarmanas alios esse atque Samanaeos s. Buddhaicos. Lassenius igitur, sicut Colebrookius As. Res. IX. 299, in hunc modum locum laudatum interpretatus est: Sunt qui inter Indos Budd'ae praecepta sequantur s. nonnulli inter Indos - - sequuntur. Neque negari potest, verba εἰσὶν οἱ πειθόμενοι ita posse explicari, ut eam, quam Lassenius vult, sententiam habeant, quamvis vocem καί additam, et voces εἰσὶν οἱ non seiunctas ex usu Graeci sermonis exspectes. Sed etiamsi haec omiseris, ad demonstrandum nihil omnino ille locus valet, quem non minus licet in hanc sententiam interpretari: Sunt vero (scil. Sarmanae, de quibus modo dixit,) ii, qui Budd'ae praecepta sequuntur. Quemadmodum si istum locum explicaveris, contrarium ex eo apparere vides, quam quod Lassenius dixit, et ostendi, Buddhaicos esse Sarmanas. Vix autem ullus Clementem ex sua ipsius scientia verba ista addidisse suspicabitur.

Si breviter totam quaestionem complectimur, omissis illis, quae, quum dubia et ambigua sint, neutri parti certa argumenta esse possunt, una utrique opinioni restat causa: alteram enim nomen, descriptio alteram magis adiuvat. Quod quum ita sit, eam sententiam superiorem facile existimaveris, quae totius descriptionis, quam quae solius nominis argumento utitur. Sed ei iudicio, quod defendit Bohlenius, aliquantum ponderis affert, quod tam definite Brahmanis Megasthenes Sarmanas opposuit. Nam mirum sane fuerit, Brahmanis tam distincte eos opponere, qui ipsi Brahmanae erant. Et omnino, quum constet, Megasthenis tempore exstitisse in India Buddhaicorum sectam a Brahmanis dissidentem, deinde quum animadverterit ille dissidium, quod inter Brahmanas

par. ev. IX. 6. (p. 410. D. E. ed. Colon. 1688.), Cyrill.

---

alteramque sectam fuerit, postremo, quum hanc alteram eodem appellaverit nomine, quo solent Buddhaici vocari, vix ullum verisimilius videtur quam eosdem esse Buddhaicos Sarmanasque.

Sed accedit alia causa et gravior. Nam non solum eodem modo et paene iisdem verbis etiam Samanaeos veteres scriptores opponere Brahmanis solent, sed etiam ei loci, quibus Bardesanes Samanaeos s. Buddhaicos describit, cum Megasthene mire congruunt. Nec tamen affirmaverim, Bardesanem in hac re Megasthenis solum vestigia secutum esse, neque quidquam addidisse de suo, sed hoc certe ausim contendere, Bardesanem in Samanaeis describendis Megasthenem respexisse et in quadam parte esse secutum. Quod ut appareat, Bardesanis et Megasthenis hos locos componam:

Bardesan. ap. Hieron. ad Jovin. (et ap. Porphyr.)	Megasth. ap. Strab. (et ap Clem. Alex.)
Bardesanes, vir Babylonius,	*Ἄλλην δὲ διαίρεσιν ποιεῖται περὶ τῶν φιλοσόφων,*
in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas dividit	*δύο γένη φάσκων,*
quorum alterum appellat Bragmanas,	*ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ,*
alterum Samanaeos;	*τοὺς δὲ Σαρμάνας,*
qui tantae continentiae sint,	— —
ut vel pomis arborum iuxta Gangem fluvium	(*καὶ ἀκρόδρυα σιτοῦνται* Clem. Al.)
	— —
vel oryzo vel farinae alantur cibo;	*ὀρύζῃ καὶ ἀλφίτοις τρεφομένους·*
	— —
et quum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque suae provinciae in illorum precibus arbitrari sitam.	*τοῖς δὲ βασιλεῦσι συνεῖναι δι' ἀγγέλων πυνθανομένοις περὶ τῶν αἰτίων, καὶ δι' ἐκείνων θεραπεύουσι καὶ λιτανεύουσι τὸ θεῖον.*
Plenius hanc partem Porphyrius tradidit:	
ἀγύναιοι δ' εἰσὶ πάντες	(*οὐ γάμον οὐδὲ παιδοποιΐαν ἴσασιν.* Clem.)
καὶ ἀκτήμονες καὶ τοσοῦτον αὐτῶν τε καὶ τῶν Βραχμάνων·	
σέβας ἔχουσιν οἱ ἄλλοι, ὥστε καὶ τὸν βασιλέα ἀφικνεῖσθαι παρ' αὐτοὺς, καὶ ἱκετεύειν εὔξασθαί τι, καὶ δεηθῆναι ὑπὲρ τῶν καταλαμβανόντων τὴν χώραν, ἢ συμβουλεῦσαι τὸ πρακτέον.	*τοῖς δὲ βασιλεῦσι συνεῖναι* etc.

contra Julian. IV. (Opp. ed. Paris. 1638. T. VI. p. 134. A.)[46])

Postremo antiqua gentis Indicae tempora percontatus, de historia Indorum, iterum solus ex Graecis omnibus, quaedam enarravit[47]): quae quod non magni momenti sunt, ex natura historiae Indiae magis, quam ex Megasthenis studio pendet. Eos locos, qui huc pertinent, tradiderunt Diodorus II. 38—39, Arrianus Ind. 8. 1—3, 9. 9, quibuscum cf. Plin. VI. 21. 5, Strab. 686—687, Arr. Ind. 5. 4—7, 9. 10—12; exiguam quandam narrationis partem (de Nabucodrosoro) memoriae prodiderunt Iosephus ant. Iud. X. 11. 1. p. 538. Haverc., contra Apion. I. 20. T. II. p. 451. Haverc., Zonaras ed Basil. 1557. T. I. p. 87; Euseb. praep. ev. IX. 41. p. 456. D. ed. Colon., Syncell. T. I. p. 419. ed. Bonn[48]).

Ex hac convenientia narrationum hoc certe licet concludere, Bardesanem respexisse Megasthenem, et eosdem Sarmanas a Megasthene descriptos Samanaeosque existimasse. Quam sententiam non poterat habere, si Sarmanas non tales Megasthenes descripsisset, quales Samanaeos esse Bardesanes compererat.

46) Cyrillus l. l., quamquam Clementem sequitur, Megasthenis narrationem perperam attribuit Aristobulo peripatetico, quem Clemens modo laudaverat.

47) Cf. *Lassen*. Zeitschr. f. d. Kunde d. Morgenlands. V. 232—259. *Benfey* ibid. p. 218—231.

48) Etsi ex his, quae exposuimus, apparet, aut attingi aut pertractari iam in reliquiis Indicon omnes res gravioris momenti, tamen scientia Indiae antiquae commemoratas litteras Indicas desiderat. Neque quidquam de hac re Alexandri comites retulisse videmus. Variis Megasthenes opinionibus ansam dedit hac sententia (Strab. 709.): *Γενομένους δ' οὖν ἐν τῷ Σανδροκόττου στρατοπέδῳ φησὶν ὁ Μεγασθένης -- μηδεμίαν ἡμέραν ἰδεῖν ἀνηνεγμένα κλέμματα πλειόνων ἢ διακοσίων δραχμῶν ἄξια, ἀγράφοις καὶ ταῦτα νόμοις χρωμένοις. Οὐδὲ γὰρ γράμματα εἰδέναι αὐτούς, ἀλλ' ἀπὸ μνήμης ἕκαστα διοικεῖσθαι· εὖ πράττειν δ' ὅμως διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ τὴν εὐτέλειαν.* Inconsideratius tamen foret ex mea quidem opinione, quam prudentius, contendere, apud Indos optimis artibus ornatos et in

Ne cum dubiis certa confunderentur, intra certos fines explicationem nostram continuimus, ita ut de iis solum reliquiis disputaremus, quae Megastheni certo poterant attribui. Nunc, ne incerta fragmenta omnia omittantur, de eo liceat addere pauca, quod et maximum est et gravissimum.

Agitur autem catalogus gentium, quem descriptioni Indiae intexuit Plinius h. n. VI. 21. 9—23. 11. Qui Pli-

---

tantum eruditionis gradum progressos scripturam aut inusitatam aut tam raram fuisse, ut eius usum peregrinator non animadvertere et negare potuerit: hoc esset, propter hunc locum sanam rationem praetermittere. Neque qui non ignorat antiquitatem Indicam, quin per errorem dixerit ille, apud Indos scriptas leges non valere, facile dubitabit. Cuius erroris causa potest duplex fuisse: nam non modo adhuc peregrinatori aegre obvenit occasio scriptas leges videndi, quum Brahmanae in memoria habeant legum codicem neque in iudicium apportent, sed etiam Indi cum manifesta quadam causa legem appellant *smriti* (i. e. μνήμη, memoria), itaque qui huius rei ignarus erat, necessario in hunc modum ratiocinatus est, scriptas non exstare leges, ubi iudicentur ex memoria omnia. Itaque etiam Nearchus ap. Strab. 716. contendit, τοὺς νόμους ἀγράφους εἶναι, et quod est gravius, septem saeculis postea *Fa hian* a Sinensis quidam peregrinator refert in media India neque censum in usu esse neque leges. Foe-koue-ki. p. 99. Quod alterum contendit Megasthenes, οὐδὲ γράμματα εἰδέναι αὐτούς, explicatur, si cogitaveris, quemadmodum haec cum illa sententia cohaereat. Ex eo enim, quod antea dixit, ἀγράφοις καὶ ταῦτα νόμοις χρωμένοις, et ex eo, quod tanquam contrarium addidit: ἀλλ' ἀπὸ μνήμης ἕκαστα διοικεῖσθαι· εὖ πράττειν δ' ὅμως διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ τὴν εὐτέλειαν, quid sibi velit haec sententia, οὐδὲ γ ρ ά μ μ α τ α εἰδέναι αὐτούς, plane intelligitur. Hoc enim Megasthenem voluisse apparet, in iudicio non adhiberi γράμματα, i. e. scriptas leges, libellos accusationis, tabulas. Vulgari in usu scriptionem fuisse, Nearchus iam indicit ap. Strab. 717, Curtius VIII. 9, et ipse Megasthenes ap. Strab. 708. hac narratione: οἱ ἀγορανόμοι — — ὁδοποιοῦσι, καὶ κατὰ δέκα στάδια στήλην τιθέασι τὰς ἐκτροπὰς καὶ τὰ διαστήματα δηλούσας.

Ipse nimirum Strabo perperam opinatus esse videtur, Megasthenem negavisse litterarum usum, quum p. 717. dicat: τῶν ἄλλων γράμμασιν αὐτοὺς μὴ χρῆσθαι φαμένων, sed quum Megasthenis sententia plena atque integra supersit, nostrum in hac re licet sequi arbitrium.

nium, quae de India neque plene neque accurate dixit, opera multa ex multis libris conquisivisse intellexerit, non amplius dubitabit, quin catalogum, de quo agitur, non ex sua ipsius scientia, sed ex aliis libris conscripserit. Nam si libris in hoc conscribendo non usus esset, quos habere alios potuisset auctores atque nautas? Et quomodo fieri poterat, ut nautae interioris Indiae gentes enumerare possent, imo etiam exercituum numeros indicare? Deinde etiam Taprobanes descriptio est documento, quo alio modo Plinius soleat scribere, ubi suum possit addere. Postremo huiusmodi catalogum si universum spectas non ex pluribus potuisse conquiri et corradi, sed unius tantum auctoris esse, facile intelligis, si memor fueris, obscure Romanis Indiam fuisse cognitam, et deesse in catalogis locos, quorum aliis alii possint adiungi.

Sed inspiciamus ea, quae de sedibus Indicarum gentium dixit. Quae si contuleris cum iis, quae praeterea scimus de historia Indica, demonstrari existimaveris, quo tempore catalogus conscriptus sit. Sed tali modo abundat catalogus ignotis nominibus, et pauca ea, quae nota sunt, ab historia sunt tam aliena, ut de paucis tantum rebus certiores fiamus: quae tamen proposito nostro sufficiunt. Legimus enim VI. 22. 5: *Sed omnium in India prope, non modo in hoc tractu, potentiam claritatemque antecedunt Prasii, amplissima urbe ditissimaque Palibothra,* et paulo infra: *Amnis Iomanes in Gangem per Palibothros decurrit inter oppida Methora et Carisobora,* postremo: *Indus statim a Prasiorum gente.* Plinii igitur aetas h. l. non agitur, sed ad aetatem summae potentiae regni Prasiaci auctor regressus, omnium rerum, quae a regibus Bactrianis et Indoscythis in pentapotamia gesta erant, suspicionem habet omnino nullam. Sed ex eo, quod Plinius refert, certius quoddam licet suspicari: nam eodem loco (VI. 22. 5.) narrat, Prasiorum regi peditum *sexcenta millia,* equitum millia triginta, elephantorum novem per omnes dies stipendiari. Qui numeri accurate conveniunt Prasiaco ex-

ercitui, quantus K'andraguptae tempore fuerat. Cf. Plutarch. Alex. 62: Ἀνδρόκοττος -- στρατοῦ μυριάσιν ἑξήκοντα τὴν Ἰνδικὴν ἐπῆλθεν ἅπασαν καταστρεφόμενος, cui loco Megasthenes non repugnat, ubi in castris affuisse quadringenta millia militum commemorat.

Quis autem est auctor, qui tam gnarus sit Indiae, qualis K'andraguptae tempore fuerit, ut adeo exercitus gentium enumerare potuerit? Quam quaestionem ipse Plinius solvit his verbis (VI. 21. 3.): *Megasthenes et Dionysius vires quoque gentium prodidere.* Quid autem Dionysius, qui vix ullo loco memoratur? Verisimilius est, catalogi auctorem esse Megasthenem, quem saepius sequitur Plinius. Et accuratius si catalogum inspicimus, ab omni parte coniecturam istam probatam videmus. Nam adiunctus est catalogus illi loco, qui his verbis incipit: *Reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt* VI. 21. 8., quem locum aliis causis moti, Megastheni iam antea attribuimus. Sed accedit alterum argumentum momenti gravioris: nam loci in catalogo passim inveniuntur, quibus respondent alii, quorum Megasthenem fuisse auctorem demonstrari potest. Quae res ex hac expositione apparebit:

Catalogus Plinii.	*Megasthenis fragm.*
— *Flumina Prinas et Cainas, quod in Gangem influit, ambo navigabilia.* —	— (Τὸν Γάγγεα) δέχεσθαι ἐς αὐτὸν τόν τε Καΐναν ποταμόν –. Arr. Ind. 4. 3.
— *Influere in eum* (scil. Gangem) *XIX. amnes. Ex iis navigabiles praeter iam dictos, Condochatem, Erannoboam, Cosoagum, Sonum. Alii eum magno fragore ipsius statim fontis erumpere, deiectumque per scopulosa et abrupta, ubi primum molles planities contingat, in*	Eadem ex Megasthene, alia brevius, accuratius alia tradiderunt Arrianus Ind. 4. 2-7. et Strabo 702. Cf. p. 34. seq.

quodam lacu hospitari: inde lenem fluere, ubi minimum, VIII. mill. passuum latitudine, ubi modicum, stadiorum centum; altitudine nusquam minore passuum XX. — —

Brevi post tribus Indicas Plinius (VI. 22. 2—3.) describit, aperte secutus Megasthenem, sed ita, ut sextam tribum omiserit.

— *Fertilissimi sunt auri Dardae, Setae vero argenti.* —

Megasthenes, ubi formicas aurum effodere narrat, inter Graecos primus *Daradas* commemoravit.

— *Sed omnium in India prope, non modo in hoc tractu, potentiam claritatemque antecedunt Prasii, amplissima urbe ditissimaque Palibothra: unde quidam ipsam gentem Palibothros vocant, imo vero tractum universum a Gange.* —

Megasthenes, ubi describit Pât'aliputrae magnitudinem, narrare pergit his verbis: τὸ δ' ἔθνος, ἐν ᾧ ἡ πόλις αὕτη, καλεῖσθαι Πρασίους, διαφορώτατον τῶν πάντων· τὸν δὲ βασιλεύοντα ἐπώνυμον δεῖ τῆς πόλεως εἶναι Παλίβοθρον καλούμενον. — Strab. 702. cf. Diod. II. 39.

(De cadentibus septentrionibus) — *hoc idem pluribus locis Indiae fieri, Megasthenes* (auctor est). *Austrinum polum Indi Dramasa vocant. Amnis Jomanes in Gangem per Palibothros decurrit inter oppida Methora et Carisobora.* —

Cf. Strab. II. 76., Diod. II. 35. (Megasth. p. 29.)

— ἵνα δύο πόλιες μεγάλαι, Μέθορά τε καὶ Κλεισόβορα, καὶ ποταμὸς Ἰωβάρης πλωτὸς διαῤῥεῖ τὴν χώρην αὐτῶν. — Arr. Ind. 8. 5.

— *Indus statim a Pra-*

Cf. Plin. h. n. VII. 2. 19.

siorum gente, quorum in montanis Pygmaei traduntur. — Strab. 711.

— *Indus incolis Sindus appellatus, in iugo Caucasi montis, quod vocatur Paropamisus, adversus solis ortum effusus, et ipse undeviginti recipit amnes. Sed clarissimos Hydaspem, quatuor alios afferentem, Cantabram tres, per se vero navigabiles Acesinem et Hypasin.* — Cf. Megasthenis locos p. 30. seq. laudatos.

— *Ab iis gens Pandae, sola Indorum regnata feminis. Unam Herculis sexus eius genitam ferunt, ob idque gratiorem, praecipuo regno donatam. Ab ea deducentes originem imperitant CCC. oppidis, peditum CL. mill., elephantis quingentis.* — — καὶ τούτῳ (scil. Herculi Indico) — — γενέσθαι — θυγατέρα μουνογενέην· οὔνομα δὲ τῇ παιδὶ Πανδαίην· καὶ τὴν χώρην, ἵνα τε ἐγένετο καὶ ἥστινος ἐπέτρεψεν αὐτῇ ἄρχειν Ἡρακλέης, Πανδαίην, τῆς παιδὸς ἐπώνυμον· καὶ ταύτῃ ἐλέφαντας μὲν γενέσθαι ἐκ τοῦ πατρὸς ἐς πεντακοσίους, ἵππον δὲ ἐς τετρακισχιλίην, πεζῶν δὲ ἐς τὰς τρεῖς καὶ δέκα μυριάδας. — Arr. Ind. 8. 6-7.

Neque in hac re est omittendum, eos locos quos protuli, magna ex parte ita cohaerere cum iis, qui praecedunt et qui sequuntur, ut ab his non possint seiungi, nisi contextu narrationis omni dissoluto. Neque tractantur his locis res notae vel saepius commemoratae, sed res maxime obscurae et nomina, quorum magna pars, si Plinium et Megasthenem exceperis, nusquam in litteris vel Graecis vel Latinis memoratur.

Contra ne ullum quidem vestigium invenitur, propter quod catalogum posteriore tempore conscriptum esse putares. Quam quidem quaestionem non attingit mentio *And'rarum* (22. 4.), quorum reges paucis saeculis post imperium magnae partis Indiae tenere videmus. And'rarum enim exercitum Megasthenes scribit Prasiaci ne sextam quidem partem aequare. Verumenimvero, quum postea reges And'rarum potentissimos Indiae fuisse videamus, quid est, cur dubitemus, an iam Megasthenis tempore potentiam non exiguam, neque tamen immodicam habuerint? Commemorantur certe And'rae in carminibus epicis, ex. c. Mahâb'. II. 1175.

Coniecturas non leves catalogus ille, si Megasthenis fuerit, excitat: inter quas gravissima est, K'andraguptae regni fines quam late Megasthenis tempore patuerint, definire. Nam existimare non possumus, eos reges, quorum exercitus enumeravit Megasthenes, K'andraguptae imperio subiectos fuisse.

Attamen non licet dissimulare, haec omnia posita esse in coniectura licet verisimili, quam exactior pleniorque Indiae antiquae cognitio aliquando aut confirmabit aut refellet.

Reliquum est, ut exponamus, quo modo Megasthenis Indicis ei sint usi, qui potiora ex eis excerpserunt. Prae ceteris igitur de Strabone, Arriano, Diodoro, Plinio h. l. agitur.

Strabo et Straboni non dissimilis *Arrianus*, qui tamen multo inconsideratius Indiam descripsit, narrationes Megasthenis contraxerunt quidem in breve, sed ita, ut simul iucunde atque accurate scriberent. Sed quum hoc Strabo sibi proposuisset, ut non modo doceret lectorem, sed etiam oblectaret, omisit quaecunque iucunde narrari vel depingi non poterant, neque diligentius quid evitavit, quam quod catalogo posset simile videri. Quod quamvis non in vitio sit, tamen negari non potest, ipsas singulas res, quas omi-

sit, nostram antiquae Indiae scientiam maxime adituras fuisse; imo eo accessit in hoc studio Strabo, ut topographia Indiae fere omnis apud eum desideretur.

Omnem vero modum in hac conscribendi ratione *Diodorus*[49]) excessit. Nam quum non docte scriberet, ut alios doceret, sed iucunde atque leviter, ut facillime a multis legeretur, eas partes sibi exquisivit, quae huic proposito maxime conveniebant. Itaque non modo accuratissimas narrationes praetermisit, sed etiam fabulas, quas lectores poterant incredibiles existimare: quorum loco eam Indicae vitae partem describere maxime ei placuit, quae singularis et iocosa Graecis videri posset. Quod ut appareat, proferre liceat hoc exemplum: Ex eo, quod Megasthenes de administratione regni Prasiaci prodidit, unam sibi excepit partem, quam in modum fabellae iocosae narraret; nam ubi elephantum modo descripsit, addit haec: *εἰσὶ δὲ παρ' Ἰνδοῖς καὶ ἐπὶ τοὺς ξένους ἄρχοντες τεταγμένοι, καὶ φροντίζοντες, ὅπως μηδεὶς ξένος ἀδικῆται. Τοῖς δ' ἀῤῥωστοῦσι τῶν ξένων ἰατροὺς εἰσάγουσι κ. τ. λ.* II. 42. Tamen aliquo pretio non caret epitome. Nam etsi novi multum non cognoscimus ex ista narratione, tamen quum optime prae ceteris cohaeret,

49) Diodorus, quamquam non confitetur, tamen omnem eam partem, qua Indicas res enarravit (II. 35—42), ex Megasthene descripsit. Quae res, quum singulas partes fere omnes cum aliis Megasthenis fragmentis comparare possimus, haud cuiquam in dubio esse potest. Itaque nusquam a Strabone et Arriano aperte dissentit, si unum illum locum exceperis, quo magnitudinem Indiae exposuit, de quo supra iam diximus. Interdum autem accuratior ea notitia, quam de expeditione Macedonica consecutus erat, effecit, ut alias res praetermitteret, alias diligentius et copiosius, alias brevius et ex parte tantum exscriberet. Ita est factum, ut ex iis fluminibus, quae in Indum influunt, alia non commemoraverit praeter Vipâçam, Vitastam, K'andrab'âgam II. 37, deinde ut aliam atque Megasthenes Gangi latitudinem attribuerit, eandemque, quam Alexandri comites dixerant, postremo, ut de Alexandro quaedam addiderit, quae in reliquiis Megasthenis desiderantur.

tum interdum efficit, ut Megastheni locum quendam possimus certo attribuere, cuius auctorem, si illa deesset, non haberemus Magasthenem nisi per coniecturam.

Quum ad easdem fere res describendas Strabo, Arrianus, Diodorus animum converterint, factum est, ut maxima Indicen pars omnino sit perdita, et ut multorum locorum admirabiliter tres supersint epitomae: quibus interdum quartus Plinius accedit.

Multum ab illis et praecipue a Diodoro abest *Plinius*; quo fit, ut et maxime ab isto discrepet, et optime eius epitomen expleat. Quae simul iucunde et docte Strabo et Arrianus enarrarunt, Diodorus amoene simul atque leviter, ea Plinius sermone exili in ieiunam nominum enumerationem convertit. Admirabili cum studio, quocum solet, hanc partem conscripsit, sed saepius etiam negligentius et inconsideratius, cuius rei multa iam antea vidimus exempla.[50] Negligenter, ut solet, laudat auctores, ita ut si contuleris descriptiones Taprobanes et regni Prasiaci, diversis saeculis eum vixisse putares. Megasthenem saepe laudat, saepius non nominatum eum exscripsisse videtur.[51]

---

50) Aliud hoc proferam exemplum. Narrat Plinius VI. 23. 9: *Plerique* (Indiam) *ab occidente non Indo amne determinant, sed adiiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas ultimo fine Cophete fluvio: quae omnia Ariorum esse aliis placet.* Hanc igitur rem quemadmodum diiudicet, ignorat. Attamen satis facilis est explicatu: ei enim, qui quatuor satrapias annumeraverunt Indiae, *K'*andraguptae et successorum aetatem, ceteri prius tempus respexerunt.

51) H. l. memorare liceat fraudem quandam, quam in edendo Megasthenis libro suscepit infamis ille Annius Viterbiensis, qui totus ex fraude et mendaciis constabat. Nam quum eum locum, quo de Nabucodrosoro Megasthenes dixit, commemoratum invenisset, sed ita ut falso scriptum fuisset nomen *Metasthenes*, Metasthenis nomine impudenter, ut solebat, librum conscripsit *de iudicio temporum et annalibus Persarum, cum commentariis Annii.* Postea, quum peccatum esse a typothetis in nomine iam negare non posset,

3. De fide Megasthenis, auctoritate et pretio.

Veteres scriptores, quotiescunque iudicant de iis, qui de rebus Indicis scripserunt, Megasthenem sine ulla dubitatione scriptoribus mendacibus et fide minime dignis solent annumerare, et Ctesiae fere parem ponere. Melius solus Arrianus de eo iudicavit hac sententia:

Ἀλλ' ὑπὲρ Ἰνδῶν ἰδίᾳ μοι γεγράψεται, ὅσα πιστότατα ἐς ἀφήγησιν οἵ τε ξὺν Ἀλεξάνδρῳ στρατεύσαντες καὶ ὁ ἐκπεριπλεύσας τῆς μεγάλης θαλάσσης τὸ κατ' Ἰνδοὺς Νέαρχος, ἐπὶ δὲ ὅσα Μεγασθένης τε καὶ Ἐρατοσθένης δοκίμω ἄνδρε συνεγραψάτην. Arr. exp. Alex. V. 5.

Neque fidem Megasthenis in dubio ponere, sed hoc solum in memoriam lectori voluit redigere, Megasthenem quoque partem tantum Indiae ipsum vidisse, quum aliis locis hanc sententiam diceret:

Ἀλλ' οὐδὲ Μεγασθένης πολλὴν δοκέει μοι ἐπελθεῖν τῆς Ἰνδῶν χώρης, πλήν γε ὅτι πλεῦνα ἢ οἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου ἐπελθόντες. Ind. 5. 3.

et ubi enumerasse Megasthenem dixit centum duodeviginti populos Indicos:

---

lectores in commentariis docet, *Metasthenem Persam fuisse, corruptissime se invenisse hunc in aliquibus Megasthenem pro Metasthene, quia primus fuerit Graecus et historicus, hic vero Persa et chronographus, et ille laicus, hic vero sacerdos, patere, Metasthenem floruisse circa tempora Magni Alexandri* similesque res ineptas. Hoc opus tam misere conscriptum, in quo Indiae ne uno quidem verbo mentionem fecit Annius, inest in libro, qui inscriptus est *Berosi sacerdotis Chaldaici antiquitatum Italiae ac totius orbis libri quinque, commentariis Ioannis Annii Viterbiensis, theologiae professoris, illustrati, adiecto nunc primum indice locupletissimo et reliquis eius argumenti authoribus, quorum nomina sequenti pagella videre licet. Aeditio ultima. Antverpiae. 1552.* Haud scio an iam insit in *commentariis Annii super opera diversorum autorum de antiquitatibus loquentium. Rom. 1498.*

Καὶ πολλὰ μὲν εἶναι ἔθνεα Ἰνδικὰ, καὶ αὐτὸς ξυμφέρομαι Μεγασθένει· τὸ δὲ ἀτρεκὲς οὐκ ἔχω εἰκάσαι, ὅπως ἐκμαθὼν ἀνέγραψεν, οὐδὲ πολλοστὸν μέρος τῆς Ἰνδῶν γῆς ἐπελθὼν, οὐδὲ ἐπιμιξίης πᾶσι τοῖς γένεσιν ἐούσης ἐς ἀλλήλους. **Ind. 7. 1.**

Inter vituperatores Eratosthenes est princeps, quocum aperte consentiunt Strabo et Plinius. Alii, inter quos est Diodorus, quum quasdam Megasthenis narrationes praetermiserint, sese in hac parte fidem ei abiudicare satis ostendunt. Iudicia, quae de Megasthene enuntiaverunt, haec sunt:

Strab. 70: *Ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος· τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης, Ὀνησίκριτός τε καὶ Νέαρχος, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη· καὶ ἡμῖν δ' ὑπῆρξεν ἐπιπλέον κατιδεῖν ταῦτα ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις. Διαφερόντως δ' ἀπιστεῖν ἄξιον Δηϊμάχῳ τε καὶ Μεγασθένει· οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ τοὺς ἐνωτοκοίτας καὶ τοὺς ἀστόμους καὶ ἄῤῥινας ἱστοροῦντες, μονοφθάλμους τε καὶ μακροσκελεῖς καὶ ὀπισθοδακτύλους· ἀνεκαίνισαν δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες· οὗτοι δὲ καὶ τοὺς χρυσωρύχους μύρμηκας καὶ Πᾶνας σφηνοκεφάλους, ὄφεις τε καὶ βοῦς καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνοντας· περὶ ὧν ἕτερος τὸν ἕτερον ἐλέγχει, ὅπερ καὶ Ἐρατοσθένης φησίν. Ἐπέμφθησαν μὲν γὰρ εἰς τὰ Παλίμβοθρα, ὁ μὲν Μεγασθένης πρὸς Ἀνδρόκοττον, ὁ δὲ Δηΐμαχος πρὸς Ἀμιτροχάδην τὸν ἐκείνου υἱὸν κατὰ πρεσβείαν· ὑπομνήματα δὲ τῆς ἀποδημίας κατέλιπον τοιαῦτα, ὑφ' ἧς δή ποτε αἰτίας προαχθέντες.*

Mirum est quod addit:

Πατροκλῆς δὲ ἥκιστα τοιοῦτος· καὶ οἱ ἄλλοι δὲ μάρτυρες οὐκ ἀπίθανοι, οἷς κέχρηται ὁ Ἐρατοσθένης, **quum inter eos, qui de India scripserunt, imprimis Megasthenem Eratosthenes secutus sit.**

Plin. h. n. VI. 21. 3: *India patefacta est - - et aliis auctoribus Graecis, qui cum regibus Indicis morati, sicut Megasthenes et Dionysius - - vires quoque gentium prodidere. Non tamen est diligentiae locus, adeo diversa et incredibilia traduntur.*

Qui tamen ipsi vituperatores, quum Megasthenis Indica magna ex parte excripserint, fidem Megasthenis in universum minime possunt tam suspectam existimavisse, quam quod ex iudiciis illis facile concluseris. Quid, quod ipse Eratosthenes, qui non pauca ex illo sumsit, apud Strabonem 689. dicit, sese Indiae longitudinem exponere ἐκ τῆς ἀναγραφῆς τῶν σταθμῶν τῆς πεπιστευμένης μάλιστα? Quae scilicet sententia ad solum Megasthenem potest referri. Re vera duas tantum Megasthenis narrationes reprehendunt, id quod de mythica Indorum ethnographia retulit et id quod de Hercule et Dionyso Indico narravit: licet ita factum sit, ut etiam de aliis rebus aliorum potius, quam Megasthenis narrationem veram esse existimarent. De Hercule et Dionyso quid narraverit, supra iam dictum et brevi iudicatum est, nunc quae de geographia Indorum mythica tradidit, nobis est examinandum.

Sed priusquam hanc rem pertractamus, commemorandum est, Arios Indos ab antiquissimo tempore a gentibus indigenis barbarisque circumsessos esse, a quibus quum corpore tum animo atque indole discrepabant. Quam discrepantiam acutissime illi et perceperunt et expresserunt. Nam sicut republica Indorum et per ipsos deos barbari repudiantur, ita communi Indorum cogitationi naturae et indolis humilioris esse et bestialis potius quam humanae videntur. Animorum diversitas dificilius perspicitur, sed corporum dissimilitudinem acriter Indi animadverterunt, in maius peiusque extulerunt, *et simulacrum illarum gentium praeter modum deforme cogitatione sibi finxerunt. Quo fundamento, quod fama firmaverat, potiti poëtae ipsam superlationem iterum auxerunt fabulisque exornaverunt. Aliae gentes eaeque Indicae, quum aut permixtione tribuum

ortae essent, aut Indicos mores et praecipue tribuum institutionem non satis sequerentur, commune Indorum odium ita susceperunt, ut eodem loco cum barbaris haberentur, et ad similem deformitatem describerentur. Ita in epicis carminibus Indiam totam Brahmanicam a gentibus circumsessam videmus non veris sed eo modo fictis, ut interdum fabulae causa perspici iam non possit.

Formas multo magis miras invenies, si deos Indorum, deorumque comitatus respexeris: inter quos praecipue *Cuvêrae* et *Cârticêjae* comitatus tali modo describitur (cf. Mahâb'. IX. 2558. seq.), ut nihil fere, quod humana imaginatione fingi possit, omissum videatur. Quos tamen Indi a populis fabulosis iam satis disiungunt: quippe quos neque in orbe terrarum Indico habitare, neque humana cum gente consuescere credunt. Quos igitur Graeci cum populis Indiae non poterant confundere.

Confundi autem facilius poterant populi cum animantibus aliis, locum quasi medium inter daemones atque homines tenentibus, quorum summam copiam Indi sibi finxerunt. *Râxasis* enim, *Piçâk'is* aliisque eadem atque populis fabulosis propria esse dicuntur, et hoc solum interest inter utrosque, ut eadem, quae singula attribui solent populis, in Râxasas et Piçâk'as multa vel cuncta soleant conferri. In universum tam leve est inter utrosque discrimen, ut certi fines terminique inter illos vix possint constitui: Râxasae enim, etsi formidolosi describuntur, tamen humani esse creduntur, et quum in terra habitare, tum in pugnis Indorum dimicare, ita ut Indus quilibet, quid inter naturam Râxasae atque hominis intersit, aegre possit definire. Vix ulla invenitur res Râxasis propria, quae non populo quoque alicui attribuatur. Itaque etiamsi de illis fama quaedam ad Graecos pervenisset — quae quidem res certis non potest probari argumentis — ideo tamen in moribus populorum Indica ratione describendis vix erravissent.

Gentium illarum famam in occidentem et ad Graecos primo translatam esse, non est quod miremur. Fabulae

enim cum ardore quodam poëtico fictae eximiam habent increbrescendi facultatem, et tanto maiorem, quanto audacius sunt fictae. Eae quoque fabulae, quibus Indi bestias colloquentes descripserunt, ita per totum fere orbem terrarum manaverunt, ut quomodo hoc factum sit, non sentiamus. Aliae fabulae, antequam ipsum Indiae nomen notum est, ad Graecos translatae sunt: inter quod genus etiam Homeri quaedam fabulae numerandae videntur, quae quidem res ante Vêdas melius cognitas probabiliter tantum coniici, neque certis argumentis demonstrari potest. Et quo longius epica Graecorum carmina a prima simplicitate abeunt, eo magis fabulas istas irrepere animadvertimus: multum iam valent apud epicos posterioris aetatis poëtas. Valde erraret, qui ex India putaret eas solum fabulas manavisse, quibus memoratur India: nam fabula procedente, etiam locus, quem fabula tractat, solet procedere. Cuius rei hoc sit exemplum: Indi septentriones versus ultra Himâlajam habitare opinabantur *Uttaracuros*, qui diu beateque viverent, morbis curisque vacarent, omni voluptate in amoenissima regione abundarent. Quae fabula mature in occidentem processit simulque processit locus fabulae, et ita est factum, ut ab Hesiodi tempore Graeci opinarentur septentriones versus habitare Hyperboreos, quorum ipsum nomen ad similitudinem nominis Indici expressum est. Cur Indi regionem beati populi septentriones versus posuerint, causa est aperta, cur Graeci, ne levissima quidem invenitur; imo hic Hyperboreorum situs toti illi imagini, quam de orbe terrarum Graeci sibi effinxerunt, non modo non convenit, sed etiam repugnat. Aliae fabulae, quum quasdam Graecorum opiniones attingerent, in alia loca translatae sunt.

Mythicae Indorum geographiae cognoscendae primum est hoc tempus, quo inscii Indicas fabulas Graeci receperunt. Alterius est dux, qui primus Indiam descripsit et a Scylace rerum Indicarum scriptores ad unum omnes fabulosas illas gentes enarrant, sed ita, ut Aethiopicas eas di-

cere soleant[52]): inter quos praecipue Ctesiae ista res infamiam et fidei suspicionem movit. Attamen minime mentitus in fine Indicon (33.) πολλὰ δὲ τούτων, inquit, καὶ ἄλλα θαυμασιώτερα παραλιπεῖν, διὰ τὸ μὴ δόξαι τοῖς μὴ ταῦτα θεασαμένοις ἄπιστα συγγράφειν: nam multas alias res gentesque fabulosas perscribere poterat, ex. c. homines capitibus tigrinis (*vjâg'ramuc'âs*), alios anguinis cervicibus (*vjâlàgrîvâs*), alios capitibus equinis praeditos (*turangavadanâs, açvamuc'âs*), alios cynopodes (*çvâpadâs*), alios quadrupedes (*k'atuspadâs*), alios trioculos (*trinêtrâs*), aliosque sexcentos.

Neque his fabulis se subtrahere Alexandri comites poterant, quorum vix ullus de fide earum dubitavit. Plerumque enim Brahmanae auctores eis fuerunt, quorum doctrinam et sapientiam omnino maxime verebantur. Quid igitur est, quod miremur, Megasthenem quoque post tot et tanta exempla illas fabulas tractavisse? Legitur eius narratio apud Strabonem 711, Plinium h. n. VII. 2. 14—22, Solinum 52.[53])

52) Consueta Aethiopiae et Indiae confusio, de qua annot. 1. diximus, videtur non modo intra fines fabularum se continuisse, sed etiam ipsam attigisse historiam. Omne igitur genus cautionis adhibendum videtur in examinandis eis, quae de bellis in Aethiopas factis traduntur. Ex. c. Diodorus II. 14., qui Ctesiam sequitur auctorem, Semiramidem refert *Aethiopiam* sibi subegisse, ibique fontem invenisse fabulosum, quem iisdem fere verbis in *India* reperiri narrat Ctesias (Ind. 14. cf. Bähr. p. 309.), et rebus quibusdam Aethiopicis expositis, protinus Diodorus ad *Indicam* Semiramidis expeditionem enarrandam transit. Eodem modo Herodotus III, 23., quo loco Cambysis explicat expeditionem in *Aethiopas Macrobios* factam, eum tradit fontem quendam fabulosum invenisse, quem eundem esse videmus atque *Çilam* fluvium vel fontem *Indicum*, a Ctesia (ap. Bähr. p. 369.) et Megasthene (cf. p. 37.) commemoratum.

53) Cf. Strab. 43. 70, Philostr. v. Apoll. III. 47, Tzetz. chil. VII. 629—768, Gell. IX. 4, Isidor. orig. XI. 3, Augustin. civ. dei XVI. 8. Recentiores scriptores, qui has res explicare studue-

Primum Megasthenes narravit hoc: *Τοὺς τὸν Καύκασον οἰκοῦντας ἐν τῷ φανερῷ γυναιξὶ μίσγεσθαι καὶ σαρκοφαγεῖν τὰ τῶν συγγενῶν σώματα.* Strab. 710. Herodotus quoque alterum de Calatiis et Padaeis (III. 38, 99), alterum de alio quodam Indico populo narravit (III. 101.). Idem Marcus Paulus (III. 17.), retulit, et adhuc gens in Vind'ja monte habitans cognatos comedere dicitur. Cf. Ritter. Asien. II. 519. Itaque pro certo sumendum est, hanc rem Megastheni re vera narratam esse, quamvis coniicere liceat, in describenda gentis aboriginis immanitate Indos, sicut solent, modum et veritatem excessisse.

Deinde *Pentaspithamos et Trispithamos* enumerat, quos refert a gruibus infestari. Id quod Homerus (Il. III. 6.) de Pygmaeis cogitavit num ex India iam manaverit necne, h. l. integrum relinquatur. Indicos autem Pygmaeos iam commemoravit Ctesias Ind. 11, quam eandem narrationem a multis scriptoribus post Megasthenis tempora repetitam videmus. Indi Pygmaeos esse *Cirâtarum* gentem existimant, quae opinio tam firma est apud eos, ut voce *cirâta* et gentem illam et quemcunque pumilum sive Pygmaeum significent. Cf. Vilsonem s. v. Deinde Cirâtas cum vulturibus aquilisque pugnare opinantur, quam propter rem Vis'n'i aquilam nomine *cirâtâçin* (i. e. *Cirâtas vorans*) appellant. Et quum Cirâtae ad Mongolicas gentes pertineant, Indi in illis describendis faciem Mongolis propriam multo deformiorem depinxerunt. Quare Megasthenes potuit dicere: *ὧν τινας ἀμύκτηρας, ἀναπνοὰς ἔχοντας μόνον ὑπὲρ τοῦ στόματος* [54].

runt, quum non rectam viam iniissent, operam fere omnes perdiderunt. Inter quos memoratu sunt digni praeter *Aldovrandium*, *Salmasium*, *Bochartum*, *Harduinum*, *Baehrium*,

J. Geoffroy St. Hilaire: histoire des anomalies de l'organisation. 1832.

Berger de Xivrey: traditions tératologiques. 1836. et quem laudat Berger de Xivrey,

Leopardi: saggio sopra gli errori popolari degli antichi.

54) Cf. Ctes. Ind. 11: *αὐτοὶ δὲ σιμοί τε καὶ αἰσχροί*, Aelian. h. a. XVI. 22: *Σκιρᾶται πέραν Ἰνδῶν ἔθνος σιμοὶ τὰς ῥῖνας*, peripl. mar. Ery-

Tum memoravit Megasthenes Ἐνωτοκοίτας, ποδήρη τα ὦτα ἔχοντας, ὡς ἐγκαθεύδειν· ἰσχυροὺς δ᾽ ὥστ᾽ ἀνασπᾶν δένδρα καὶ ῥήττειν νευράν. Neque ille vel alii Graeci, sed ipsi Indi sibi finxerunt Enotocoetas: qui sanscrite nuncupantur *carn'aprâvâran'ae* i. e. *qui auribus quasi tegumento utuntur*. Quorum mentio in epicis carminibus non raro invenitur, ex c. Mahâb'. II. 1170, 1875, et tam consueta est apud Indos haec cogitatio, ut ipsum nomen proprium *Carn'aprâvaran'â* reperiatur Mahâb'. IX. 2643. Et in Râmâjan'a locus quidam exstat nondum editus, quem attulit *Lassenius* (Zeitschr. f. Kunde d. Morgenl. II. 40.), quo memorantur *Cirâtae*, *quorum alii in Mandara monte habitant, alii auribus quasi tegumento utuntur, horribiles, nigris faciebus, singulis quidem pedibus, tamen veloces, qui deleri non possunt, viri praevalidi, anthropophagi*[55]. Hos quoque Indi putant septentriones versus habitare; ita alio modo, quam per scriptores rerum Indicarum fabella ista in occidentem videtur translata esse, quum ab aliis scriptoribus eidem homines in septentrionali Europae parte collocentur. Plin. h. n. IV. 27. 5, Mel. III. 6, Isidor. XI. 3. Ex iis, qui Indica conscripserunt, Enotocoetas primus me-

---

thr. p. 85. Huds. *Κιῤῥάδαι, γένος ἀνθρώπων, ἐκτεθλιμμένων τὴν ῥῖνα, ἀγρίων*. Ipsi Indi inter ceteras gentes commemorare solent *K'ipit'anâsicâs* i. e. σιμοί τὰς ῥῖνας. As. Res. VIII. 340. Nomen *Scyrites* (V. L. *Syrictes*), quod Plinius ex Megasthene tradidit, paullum depravatum videtur. Cf. p. 69.

55) Mahâb'. II. 1170. *Qui in insulis marinis habitant reges, a barbara gente oriundi, Nis'âdae, et Anthropophagi, Carn'aprâvaran'ae* (s. Enotocoecae), *et qui Melanoprosopi appellantur, ab hominibus et Râxasis oriundi.*

In universum pervulgata est apud Indos opinio, gentes barbaras magnis auribus esse praeditas: ita non modo *carn'aprâvaran'ae* memorantur — quod quidem nomen confundi facile poterat cum voce *k'armaprâvaran'a* (i. e. pellibus indutus) — sed etiam *carn'icae*, *lambacarn'ae*, *mahâcarn'ae* (i. e. μεγαλώτιοι), *us't'racarn'ae* (i. e. καμηλώτιοι), *ôs't'acarn'ae* (i. e. χειλώτιοι), *pân'icarn'ae* (i. e. χειρώτιοι), de quibus cf. Ctes. Ind. 31.

moravit Ctesias Ind. 31, tum Duris ap. Plin. h. n. VII. 2. 23.

Brahmanae (οἱ φιλόσοφοι) Megastheni narraverant, in India esse Ὠκύποδας, ἵππων μᾶλλον ἀπιόντας. Quam fabulam Indicam esse, ex eo Râmâjan'ae loco apparet, quem modo laudavimus; quo etiam nomen Ὠκύποδες explicatur. Nam quum Indi partem quandam Cirâtarum nuncupent *êcapâdas* i. e. μονόποδας, qui tamen esse veloces dicuntur, nomen cum apta quadam paronomasia Megasthenes voce Ὠκύποδες vertit[56]). Neque Monopodes Ctesiae desunt, qui apud Plin. VII. 2. 16. haec refert: *Item hominum genus, qui Monocoli vocarentur, singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum, eosdemque Sciapodas vocari, quod in maiore aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant; non longe eos a Troglodytis*[57]) *abesse.* Quae Ecapâdarum et Sciapodum confusio solum ex similitudine nominum pendere videtur.

Neque minus mirum est id quod de feris hominibus tradidit: Τοὺς οὖν ἀγρίους ἀνθρώπους ἔχειν τὰς μὲν πτέρνας πρόσθεν, τοὺς δὲ ταρσοὺς ὄπισθεν καὶ τοὺς δακτύλους.

---

56) *Ecapâdarum* non rara in epicis carminibus fit mentio ex. c. Mahâb'. II. 1837—1838: *Ibi conspexi Diophthalmos, Triophthalmos, Metopophthalmos, qui varii e regionibus advenerant, — Anthropophagos et Monopodes.*

Hariv. 9540—9541: *Praediti capillis erectis, nigris et albis, robore elephantorum decem mill. et procellae, Monocheires, Monopodes, Monophthalmi, qui ora trementia habent etc.*

Hariv 9553: *Monopodes et Dipodes, alii Bicipites, Macilenti etc.*

Cf. Mahâb'. II. 1173, III. 16137, Hariv. 2444, As. Res. VIII. 338. Alio nomine ab Indis vocantur eidem *êcak'aran'ae.* As. Res. VIII. 340.

57) *Troglodytae* ad eas pertinent gentes, quas alii scriptores Aethiopiae, Indiae alii adscripserunt. Indicis litteris minime desunt, quibus appellantur *girigahvarâs* i. e. *in montanis cavernis viventes.* Mahâb'. VI. 375.

Paullo longior Plinius est VII. 2. 14: *In monte, cui nomen est Nulo* (VV. LL. Nullo, Milo), *homines esse aversis plantis, octonos digitos in singulis habentes, auctor est Megasthenes.* Hanc etiam rem Ctesias prior retulerat Ind. 31: ἔχουσι δὲ οὗτοι οἱ ἄνθρωποι ἀνὰ ὀκτὼ δακτύλους ἐφ' ἑκατέρᾳ χειρὶ, ὡσαύτως ἀνὰ ὀκτὼ καὶ ἐπὶ τοῖς ποσὶ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες ὡσαύτως. Cf. Solin. 52, Tzetz. Chil. VII. 768, Gell. IX. 4. Quorum hominum inter Alexandri comites Baeto mentionem fecit ap. Plin. h. n. VII. 2. 3: *In quadam convalle magna Imai montis - - silvestres vivunt homines, aversis post crura plantis, eximiae velocitatis, passim cum feris vagantes.* Eidem appellantur *Antipodes* et inter gentes Aethiopicas enumerari solent. Cf. Isid. orig. XI. 3. Opinionem illam apud Indos vernaculam fuisse, non modo ex eo apparet, quod multi scriptores, quorum alius alio non usus est, de hac re consentiant, sed etiam ex litteris Indicis; pluries enim in epicis carminibus commemorantur *paçk'âdangulajas*, quam vocem accuratissime Megasthenes nomine ὀπισθοδάκτυλος convertit [58].

Plinius deinde describit (VII. 2. 15.) *genus hominum capitibus caninis, ferarum pellibus velari, pro voce latratum edere, unguibus armatum venatu et aucupio vesci!* Quae narratio, si Solinum 52. sequaris, Megasthenis est. Neque in hac gente describenda, quam nomine Κυνοκέφαλοι appellavit, Ctesias deest. Ind. 20, Plin. l. l. Sanscrite nuncu-

58) Cf. Mahâb'. X. 452—457: *Ibi conspiciebantur Râxasae et Piçâk'ae varii, carnem humanam vorantes, sanguinem bibentes, ingentes, fusci, saxeis dentibus, tauris similes, capillis horridis, longis instructi conchis, pentapodes, ventriosi, opisthodactyli, asperi, deformes, voce horribili, campanis retibusque instructi, nigris gutturibus, formidolosi, crudelissimi, vultu horribili: variaeque Râxasarum formae ibi conspiciebantur. Et alii quum sanguinem bibissent, laeti catervatim saltabant, collocuti talia, «hoc est optimum, clarissimum, dulcissimum». Sic colloquebantur illi vorantes medullam, ossa, sanguinem, adipem, hostium carnem devorantes, cruda carne vescentes, carne viventes.*

pantur *Çunamuc'âs* s. *Çvâmuc'âs* i. e. κυνοπρόσωποι s. κυνοκέφαλοι. As. Res. VIII. 331. Mores autem barbararum gentium saepius tam immanes describuntur, ex c. Mahâb' II. 1865: *Cirâtas conspicio, qui radicibus plantarum vescuntur, pellibus ferinis indutos, foedis moribus, foedisque factis.* Cf. Mahâb'. VII. 6867. seq.

„Ἀστόμους δὲ οἰκεῖν περὶ τὰς πηγὰς τοῦ Γάγγου· τρέφεσθαι δ' ἀτμαῖς ὀπτῶν κρεῶν καὶ καρπῶν καὶ ἀνθέων ὀσμαῖς, ἀντὶ τῶν στομάτων ἔχοντας ἀναπνοάς· χαλεπαίνειν δὲ τοῖς δυσώδεσι καὶ διὰ τοῦτο περιγίνεσθαι μόλις καὶ μάλιστα ἐν στρατοπέδῳ": Cf. Plin. VII. 2. 18, Solin. 52, Plutarch de facie in orbe lunae p. 701. Reisk. Astomos in libris Indicis memorari, ostendere nondum possumus aeque atque Amycteras, quos esse dixit παμφάγους, ὠμοφάγους, ὀλιγοχρονίους. Ipsa tamen verba descriptionis sunt documento, Megasthenem Indorum narrationes secutum esse. Voces enim παμφάγος ceteraeque, quibus Amycteras descripsit, ab usu sermonis graeci remotae sunt, et conversae ex sanscritis vocibus. Ex. c., quum voce παμφάγος Graeci perraro utantur, apud Indos eadem vox est pervulgata, et usitata sunt cognomina barbararum gentium *sarvab'axa, viçvab'ôg'ana* (i. e. παμφάγος), vel *mânsab'âxaca, âmis'âçin, piçitâçin, cravjâda* (i. e. carnivorus[59]).

„Μονομμάτους δὲ ἄλλους, ὦτα μὲν ἔχοντας κυνὸς, ἐν μέσῳ δὲ τῷ μετώπῳ τὸν ὀφθαλμὸν, ὀρθοχαίτας, λασίους τὰ

59) Cf. Mahâb'. XII. 6956: *Çûdrae dicuntur esse pamphagi semper, nullius facti expertes, impuri,* et quem locum laudavimus annot. 58. Carnivoros esse Padaeos, iam Herodotus III. 99. retulerat. Omophagi esse eidem videntur atque qui vulgo appellantur Agriophagi. Interdum enim iisdem vocibus, quibus ipsa nomina gentium significent, scriptores quum Indici tum Graeci utuntur. Ita apud Plinium VI. 35. 17. (qui locus videtur ad Indiam potius quam ad Aethiopiam spectare) memorantur *Nigroe, quorum rex unum oculum habeat in fronte, Agriophagi, Pamphagi, Anthropophagi, Cynamolgi (caninis capitibus): pars quaedam Aethiopum locustis tantum vivit, ii quadragesimum annum vitae non excedunt.* Cf. p. 71.

στήθη." Ea quae h. l. uni propria esse genti Megasthenes dixit, Indi solent populis attribuere variis: *Monommatos* nuncupare solent *êcâxjas* s. *êcavilôk'anas*[60]), ὀρθοχαίτας *urdd'vacêçjas*[61]), quod nomen optime Megasthenes interpretatus est: imo etiam *Cyclopes* Indici commemorantur nomine *lalât'âxa* i. e. μετωπόφθαλμος[62]).

Brahmanas, Megasthenes deinde refert, de *Hyperboreis* qui mille annos viverent, idem atque Simonidem, Pindarum aliosque mythologos narrare. Quam igitur fabulam, quae antiquissimo tempore in Graeciam ex India videtur pervenisse, Megasthenes, ubi orta erat, et reperit et recognovit[63]). Eandem Ctesias narraverat (Ind. 23. cf. Bähr. 371.) aliique auctores, quos Plinius VII. 2. 20. seq. protulit[64]).

---

60) Cf. Mahâb'. III. 16187., As. Res. VIII. 340. et Harivançae locos in annot. 56. allatos.

61) Cf. annot. 56.

62) Mahâb'. III. 16137, II. 1837 (annot. 56.). Ad idem genus non modo Monoculi (*êcâxjas*) pertinent, sed etiam Trioculi (*trinêtrâs* s. *trjaxâs*). Nam Mahâb'. VII. 9629. leguntur verba haecce: *fronti oculum inseruit: ideo trioculus appellatur.*

63) Cf. Lassenii hanc explicationem: *Uttaracuru ist ein Theil Sericas, und da die ersten Nachrichten von den Serern über Indien nach dem Westen kamen, so ist wohl ein Theil der Erzählungen vom ruhigen, glücklichen Leben der Serer aus den Indischen Berichten von Uttaracuru zu erklären. Das lange Leben der Serer gehört auch dahin, namentlich, wenn Megasthenes vom tausendjährigen Leben der Hyperboräer erzählt. Mahâb'. VI. 264. heisst es, dass die Uttaracurus 1000, ja 10000 Jahre lebten. Wir schliessen hieraus, dass Megasthenes auch von den Uttaracurus geschrieben, und ihren Namen nicht unpassend durch den der Hyperboräer wiedergegeben hatte.* Zeitschr. II. 67.

64) *Cyrnos Indorum genus Tsigonus annis centenis quadragenis vivere.* Quo loco pro voce *Cyrnos Cyros* legendum esse, et in hunc modum nomen Uttara-*curu* praecisum esse conficio. Accuratius nomen reddiderunt Ptolemaeus: Ὀττοροκόῤῥα, Orosius: *Ottorogarras*, Amm. Marcell.: *Opurocarra* (qua in voce litterae *TT* in litteram *Π* corruptae videntur), Plinius VI. 20. 3. et Solinus: *Attacori.*

Aliam Indiae gentem Megasthenes tradit, sicut Ctesias et Clitarchus, quadragenos annos non excedere, feminasque septimo aetatis anno parere. Arr. Ind. 9. 1., Phlegon. mirab. 33., Plin. h. n. VII. 2. 22.[65]). Quae narratio spectat ad gentem summam meridiem versus habitantem, cuius maturam pubertatem Indi, sicut solent, nimis auxerunt, et falsa coniectura brevioris vitae exornaverunt.

Sese ex illis monstris ullum vidisse, Megasthenes nequaquam dixit: hoc solum ait: *τοὺς μὲν οὖν ἀγρίους μὴ κομισθῆναι παρὰ Σανδρόκοττον· ἀποκαρτερεῖν γάρ*[66]), deinde: *ἀστόμους δέ τινας ἀχθῆναι, ἀνθρώπους ἡμέρους*, sed etiam hos sese vidisse non contendit: in castris enim Indicis eos fuisse narrat, et coniecturam eorum iam supra ostendimus vanam esse, qui Megasthenem in castris affuisse putant. Omnino ne hoc quidem scimus, quanta cum persuasione Megasthenes inveniri fabulosas illas gentes narraverit: de plurimis scilicet ipse Brahmanas sibi auctores fuisse confitetur. Sed faciamus, fabulas eum omnes veras existimasse, considerandum nobis est, Indorum sapientes ei auctores fuisse, deinde Graecos, qui Indiam descripserant, omnes easdem fabulas quasi veras narravisse et paullo antea Alexandri expeditione fidem earum iterum et divulgatam esse et firmatam.

Fabulis supra dictis simile est id quod de *formicis aurum effodientibus* tradit. Idem iam relatum esse ab Herodoto (III. 102—105.) videmus, qui quo maiorem fidem narratio haberet, addidit haec verba: *εἰσὶ αὐτῶν καὶ παρὰ βασιλέϊ τῶν Περσέων, ἐνθεῦτεν θηρευθέντες*. Herodotum excipit Nearchus, qui affirmat, sese ipsas quidem formicas

---

65) Vulgo vocantur *Pandae* (cf. not. 33.). Itaque legendum videtur apud Phleg. *ἐν Πανδαίᾳ* (codd. *ἐν Παλαίᾳ*), apud Plin. l. l. *Pandarum* (codd. *Mandorum*) *nomen iis dedit Clitarchus et Megasthenes*, nisi forte Megasthenes respexit ad incolas *Mandarae* montis, monstris abundantis.

66) Idem mire narraverat *Baeto* de iisdem hominibus ap. Plin. VII. 2. 3.

non vidisse, sed multas earum pelles in castra Macedonum allatas. Arr. Ind. 15. 4., Strab. 705. Nearchum in hac re describenda Megasthenes sequitur, qui nihil fere novi addit praeter locum accuratius indicatum his verbis: ἐν Δέρδαις, ἔθνει μεγάλῳ τῶν προσεῴων καὶ ὀρεινῶν Ἰνδῶν. Strab. 706., Arr. Ind. 15. 5—6. Deinde eandem illam narrationem interdum nova observatione auctam Graeci Romanique scriptores frequentes repetunt[67].

Hac quoque relatione motus est Strabo, ut Megasthenem in numero mendacium scriptorum collocaret: neque consideravit, eandem rem eodem fere modo a tribus pluribusve auctoribus referri, quorum alius alium vix novit. Sed etiam postea ad alios populos eadem fama pervasit: eandem enim rem narrat *Qazvinius* Arabs[68], et *Busbequius*[69]) tradit,

---

67) Strab. 718., Arr. V. 4. 7., Aelian. h. a. III. 4., XVI. 15., Clem. Alex. Paed. II. p. 207., Tzetz. Chil. XII. 330—340., et qui videtur Megasthenem exscripsisse Dio Chrysost. or. 35. p. 436. Morell., Plin. h. n. XI. 36., XXXIII. 21., Propert. III. 18. 5., Pomp. Mel. 7. 2., Isidor. Orig. XII. 3., Albert. Magnus de animal. T. VI, p. 678. ex subditiciis Alexandri epistolis, Anonym. de monstris et belluis 259. ed. Berger de Xivrey. — Philostratus v. Apoll. VI. 1. et Heliodorus Aeth. X. 26. p. 495., quum formicas illas Aethiopiae attribuerint, auctoribus usi videntur Megasthene antiquioribus. Nuncupatur populus a Megasthene Δέρδαι, apud Plinium *Dardae*, ab ipsis Indis *Daradae*. Et admirabiliter *Daradas* Ptolemaeus in Aethiopia habitare dicit, et eiusdem nominis populum in extrema Libyae parte ad occidentem sita Agathem. II. 5., Polyb. ap. Plin. h. n. V. 1. 10., Ptolem. IV. 6., quem veteres scriptores cum solita Indiae et Aethiopiae permutatione nescio an huc transposuerint. Indicum certe sabuletum et Africum permutationi ansam dare facile potuit.

68) *Gildemeister*. script. Arab. de reb. Ind. p. 220—221.: *Dixit auctor libri miraculorum, in ultima India terram esse, cuius arena auro commista sit; ibi formicarum magnarum species est, quae canem celeritate cursus superant; terra quam maxime fervida est, et sole et aestu aucto formicae sub terram in latibula se recipiunt ibique latent, usque dum aestus vehementia diminuta est. Tum Indi cum iumentis ad earum latibula ve-*

Solimano praeter alia dona a Thamaspo Persarum rege missam esse „formicam Indicam, mediocris canis magnitudine, mordacem admodum et saevam.“

Cuius narrationis multas mirasque explicationes, quas antea VV. DD. proposuerunt, quum iam obsoletae sint, h. l. licet omittere. Bestiam primus *Moorcroftius* (As. Res. XII. 439.) invenit, qui circa Indi fontes solum invenit auriferum et bestiam in cavernis terrae viventem, cui veterum descriptio conveniebat, ita scilicet, ut formicis minime similis esse posset. Quam eandem esse atque istam formicam ab Herodoto, Nearcho, Megasthene aliisque memoratam primus perspexit *Ritterus* Asien II 659., cf. 508., 593. Convenit etiam locus: in illa enim regione *Daradae* habitabant. Neque tamen apud ipsum Ritterum, dum in nomine male intellecto aut converso, aut in altero cum altero mutato narrationem originem habere putat, auctorum varietas satis valuit. Ex quo tempore etiam ultima dubitationis causa sublata est: *Vilso* enim invenit (Arian. ant. 135.), mentionem fieri etiam in Indicis litteris bestiarum aurum effodientium, quas quum terram effodiant, eodem nomine (*pipîlica*) atque formicas Indi nuncupant. Cf. Mahâb. II. 1860.: *pipîlicam g'âtarûpam udd'ritam pipîlicâis* i. e. *formicinum aurum erutum a formicis.* Itaque etiam de hac re rectius, quam qui eum vituperant, Megasthenes iudicavit.

Eratosthenem igitur, Strabonem ceterosque neque accurate neque ab omni parte Megasthenis fidem ponderasse videmus. Nam quamvis in universum vera et falsa recte diiudicaverint, et ficta esse monstra, de quibus narrat Megasthenes, recte intellexerint, tamen fictionis causam et originem investigare non studuerunt. Etsi debebant intel-

---

niunt et aliquantam avehunt arenam; deinde cursu celeri se recipiunt metu formicarum, ne insecutae se devorent. Quam fabellam ex Graecis petitam esse, recte observavit *Gildemeisterus* p. 120.

69) *Busbequius* legationis Turcicae epist. IV. p. 144., quem sequitur *Thuanus* XXIV. 7. p. 809. ad annum 1559.

ligere, fabulas easdem vel similes a Scylacis tempore iterum atque iterum esse repetitas, et repetitas a scriptoribus, quorum alius alium ignorabat, tamen cum admirabili iudicandi levitate singulos arguunt, quasi fabulas illas ipse sibi quisque finxerit. Sicut ineptum fuit opinari, Herculem et Dionysum in Indiam migrasse, ita etiam ineptum fuit putare, totum Alexandri exercitum et Megasthenem et alios in vano commento consensisse. Quapropter utrique vitio non vacant, et rerum Indicarum scriptores et critici: utrique enim materiem sibi convenientem, alteri res, alteri rerum narrationes, non satis examinaverunt.

Quod quum ita sit, Megasthenis fides, ut hoc verbo utar, relativa in dubitationem vocari non potest; etenim et quod ipse vidit et quod ab aliis audivit, narravit ad veritatem. Itaque si spectamus, quae fides singulis narrationibus sit tribuenda, hoc alterum examinandum est, quantum, qui auctores ei fuerunt, fide digni sint. Sed in hac re ne ulla quidem suspicionis causa exstat: nam eis de rebus, quas ipse non vidit, certior factus est a Brahmanis eis, qui reipublicae praeerant: ad quos pluries ipse provocat. Ideo non modo administrationem regni Prasiaci describere potuit, sed etiam ceterarum gentium potentiam exercitusque enumerare. Quare mirari non possumus, Indicas opiniones in libris Megasthenis cum vera observatione et cum Graecis opinionibus esse mixtas.

Itaque ei, sicut Alexandri comitibus, non potest obiici, quod nimis multa narraverit. Neque parum eum retulisse, ut res Indicas Graecis plene describeret, capite priori demonstravimus. Indicam enim terram et terrae coelique naturam, bestias plantasque et res publicas et sacras populique mores et artes, vitam denique Indorum, qualis a rege usque ad ultimam tribum fuerit, descripsit, omnesque res animo sano et vacuo perlustravit, ne levibus quidem exiguisque neglectis. Si quam partem relictam vidimus, pauca tantum de sacris et deis Indorum dicta, de litteris

nihil[70]), est reputandum, nos non ipsos eius libros, sed epitomen et particulas quasdam superstites legere.

His expositis potest iudicari, utrum Ctesiam in enarrandis rebus Megasthenes secutus sit necne. Etenim fabulas, quas uterque refert, ostendimus apud Indos esse pervulgatas, et ipse Megasthenes non modo nusquam Ctesiam laudavit, sed etiam Brahmanas confitetur sibi auctores fuisse de fabulis eisdem, quas Ctesias tradit. Deinde quum dicat *τοὺς μὲν οὖν ἀγρίους μὴ κομισθῆναι παρὰ Σάνδράκοττον· ἀποκαρτερεῖν γάρ* et *ἀστόμους δέ τινας ἀχθῆναι*, sese de his quoque rebus Indos, non Ctesiam secutum esse indicat. Itaque nequaquam potest contendi, Megasthenem Ctesiae usum esse libro, nisi forte alterius narratio tam accurate cum altero conveniat, ut manifestum sit, alterum ex altero partem quandam hausisse. Sed si utrumque inspexeris accuratius, facile intellexeris, solam utriusque materiem ex aliqua parte concinere, discrepare explicationem, et maiorem esse narrationum dissensionem quam similitudinem. Cui sententiae una res sola videtur repugnare: nam quum Ctesias de Sila fluvio tradiderit, nihil innatare, omnia mergi (Bähr. p. 369.), idem Megasthenes sed quibusdam additis narravit: Lassenius autem, quum eandem fabulam vulgatam esse apud Indos ostenderet, qui res omnes in Sila immersas in lapides immutari opinarentur, Ctesiam et Megasthenem Indicum narrationis colorem commutasse contendit (Zeitschr. f. Kunde d. Morgenl. II. 63.): quod si ita esset, appareret, Megasthenem in hac re Ctesiae vestigia secutum esse. Sed quum aliae eiusdem narrationis partes inter se non conveniant, et quum Ctesia copiosius Megasthenes rem enarraverit, licet coniicere, explicationem illam ab Indis repetitam esse et exstare in litteris

70) Nam certa quaedam non exstat causa, cur Megastheni eos attribuamus locos epica Indorum carmina spectantes, qui leguntur apud Aelian. v. h. XII. 47., Dion. Chrysost. or. 53. de Homero p. 554. Morell.

Indicis. De ceteris rebus ne levissima quidem invenitur causa, cur Megasthenem putes ex Ctesia aliquid exscripsisse, et in Indis auctoribus laudandis esse mentitum.

Levium, per quos lapsus est, errorum alii eiusmodi sunt, quales observatori licet diligentissimo evenire possunt, ex. c. quod Vipâçam in Irâvatim effundi perperam dixit; alii ex Indicis vocibus non recte intellectis exorti: quo pertinet, quod contendit, apud Indos non scriptas esse leges, sed ex memoria diiudicari omnia. Praeterea narrat, Brahmanis eis, qui ter in constituendo calendario erravissent, per totam vitam silentium imperari. Quam sententiam nondum expeditam ita explicaverim, ut illum statuam Indicam vocem *mâunin* audivisse, qua quum taciturnus, tum quicunque asceta significatur. Alii denique errores in eo sunt positi, quod res Indicas ex Graeca opinione consideravit, quo factum est, ut tribus non recte enumeraret, et ut deos Indorum et alias res perperam interpretaretur.

Nihilominus Megasthenis liber, quantum est pars litterarum Graecarum et Graecae Romanaeque doctrinae, quasi fastigium est scientiae, quam de India veteres unquam consecuti sunt. Nam etsi geographica Graecorum scientia postea demum perfecta est, tamen Indiae cognitio iam Megasthenis libris ad summam perfectionem ita pervenit, ut qui postea de India scripserunt, ad veritatem tanto propius accedant, quanto accuratius Megasthenis Indica sequantur. Neque per sese tantum, sed etiam aliam ob rem Megasthenes multum valet, nam quum magnam partem narrationum alii scriptores ex illo hauserint, in totam Graecorum et Romanorum scientiam magnam vim habuit.

Praeter hanc, quam in litteris Graecis Indica Megasthenis obtinent auctoritatem, reliquiae aliud quoque pretium habent, quum inter fontes Indicae antiquitatis locum non ultimum teneant. Nam sicut nunc est Indiae antiquae scientia nostra, illius narratio etsi suppleri et corrigi non raro potest, tamen aliis locis scientiam nostram aliunde repetitam auget. Verumtamen concedendum est, id, quod

novi nos docuit, neque numeri neque ponderis permagni esse. Gravius est, quam id quod novum refert, quod rerum Indicarum imaginem in certum tempus revocavit, quum litterae Indicae semper sibi constantes, si quo tempore quid acciderit quaerimus, in summa dubitatione nos relinquere soleant.

III. De scriptoribus eis,

qui post Megasthenem de India scripserint.

Cognitionis et summae et accuratissimae, quam unquam de India Graeci nacti sunt, Megasthenes fuit auctor. Neque tamen alii defuerunt, qui aetate illa Indiam describerent. Nam etiam *Daimachus Plataeensis*, a Seleuco missus ad *Amitragʿâtam*, K'andraguptae successorem (Strab. 68, 70, 72, 74, 75, 690, Athen. IX. p. 394. *E*, Harpocrat. v. ἐγγυθήκη), *Dionysius*, a Ptolemaeo Philadelpho in Indiam missus (Plin. h. n. VI. 21. 3.), *Patrocles*, qui non modo per oceanum Indicum ipse navigabat, sed etiam eis libris utebatur, quos Alexander accuratissime conscribi iusserat (Plin. l. l., Strab. 69, 74, 409, 508, 518, 689.), Indiam et ipsi viderunt et descripserunt. Quum autem perraro laudentur, et quum ei loci, qui afferuntur, ad solam chorographiam pertineant, Megasthenis auctoritatem et pretium nullo modo assecuti videntur.

Hanc aetatem, qua frequenti itinere India exploratur et ab eis describitur, qui eam ipsi viderunt, tertia sequitur Indiae cognoscendae aetas. Neque iam hoc tempore omnino desunt qui itinere Indiam cognoverint, sed et rari sunt, et solas oras solent describere. Inter quos vix alius est memoratu dignus praeter *auctorem peripli rubri maris*, hominem indoctum quidem et alienum ab arte, cuius tamen liber adhuc non negligendus est. Sed magis

aetas illa in eo versabatur, ut quaecunque antea de India iam explorata erant, ad artem et praecepta revocaret, certo iudicio ponderaret, in certum ordinem disponeret, et ita communi omnium notitiae traderet.

Eis, qui ad hunc finem scribebant, Megasthenes de India summus erat auctor. *Eratosthenem*, summae doctrinae geographum principem, neque minus, qui Eratostheni adversarius erat, *Hipparchum*, plurima depromere a Megasthene videmus (V. Eratosth. p. 92—99. Bernh., Strab. 71. seq.). Ex eo enim adhuc potest ostendi Eratosthenem hausisse ea quae prodidit de magnitudine Indiae, de finibus, de septentrionibus cadentibus, de messi duplici, de eo spatio, per quod India in orientem pateat. De aliis rebus aut dissensit, ex. c. aliter descripsit, quantam longitudinem a septentrionibus ad meridiem India haberet, aut secutus Megasthenem falsas opiniones addidit, ex. c. australem Indiae finem eodem in gradu posuit atque Meroen: quo modo totam Indiae formam suo loco movit et perturbavit. Sed sicut errores Eratosthenis per totam Graecorum geographiam perpetui manere solent, ita etiam eam partem, quae Megasthenis Indicis nititur, ei qui sequuntur geographi ratam atque certam habuerunt. Posterioris aetatis geographi, *Polemo* (κοσμικὴ περιήγησις), *Mnaseas* (περὶ Ἀσίας), *Apollodorus* (γῆς περίοδος), *Agatharchides* (τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν), quantum in India describenda Megasthenis vestigia secuti sint, iam reperiri non potest. Prae ceteris, qui frequentes paullo postea libros geographicos vel copiosiores vel breviores conscripserunt, *Alexander Polyhistor* memoratu est dignus: nam, quum scripserit Ἰνδικά, quamvis fuerint pars tantum maioris geographici operis, copiosius tamen res Indicas videtur tractasse. Quum vero unus tantum ex hoc libro locus supersit (Clem. Alex. III. 538. Pott.), quantum secutus sit Megasthenem, certius iam dici non potest.

Gentis descriptionem geographiae maxime immiscuit, itaque Megasthenis vestigia ubique fere persecutus est

Strabo (XV.) Qui Eratosthenis geographia quasi fundamento usus ex Megasthene eam explevit, et praecipue in ea parte, quae ad gentem describendam pertinet. Quo factum est, ut maior pars descriptionis Indiae Megasthenis libris nitatur, locis Alexandri comitum admixtis. Sed Eratosthenis geographicam tabulam secutus Strabo de forma situque Indiae aliter atque Megasthenes et falso iudicavit[71].

Inde, dum geographia Graecorum procedit, ethnographica pars (neque ea in omni parte iniuria), negligitur eodem modo, quo mathematica potior iudicatur. Itaque *Marinus Tyrius* et *Ptolemaeus*, horum studiorum principes, Megasthenis libris uti vix poterant: ita ut hoc tempore Megasthenes ad geographicam Graecorum scientiam aliquantum valere desineret. Diutius ad libros geographicos in breve contractos aliquam vim habuit, quamquam non ex ipso Megasthene, sed ex Eratosthene aliisque hauriebantur. Sed in universum eum iam oblita est aetas: geographia enim, quo propius ad similitudinem exilis nominum et numerorum indicis accedebat, tanto minus uti poterat enarratione eius copiosa: et si qui plura scire cupiebant, a graviori studio tam alieni erant, ut meliorum librorum obliti Scylacis et Ctesiae libros fabulis abundantes et iamdiu oblivione exstinctos referrent.

---

71) Etsi isto quoque tempore non defuerunt Graeci scriptores, qui res Indicas tractarent, tamen ficti sunt, quos *pseudo-Plutarchus* (*περὶ ποταμῶν*) protulit; qui laudavit *Caemaronis Ind. X*, *Clitophontis Ind. X*, imo quasi iocatus *Chrysermi Ind. LXXX*. Libri enim auctor, qui narrationes ipse absurde finxit, auctores quos protulit ex paucis *Stobaei* paginis ita descripsit, ut scriptorum nominibus suo arbitratu librorum nomina numerosque adderet. Veruntamen hac fraude incondita mire fefellit litterarum Graecarum historicos, etsi absurdas eius narrationes iamdiu constat ad geographiam inutiles esse. *Ctesiae* quoque duos pseudo-Plutarchus libros affinxit, alterum inscriptum *περὶ ὀρῶν*, alterum *περὶ ποταμῶν*; et quum Ctesiae editores coniecturas vanas addiderint, factum est, ut utriusque libri fragmenta in editionibus Ctesiae inveniantur.

Indiam sicut geographi Graeci per longum tempus prae ceteris terris lubentissime descripserunt, ita neglexerunt historici. Solus Diodorus universali illi, quam conscripsit, historiae Indiae descriptionem inseruit, quae tota ex Megasthene exscripta est. In tanta Indiae neglectione uberrima ea rerum copia, quae in Megasthenis Indicis inerat, aliud genus scriptorum licet ab una parte est usum: *patres* enim *ecclesiae* Megasthene utuntur, quo tempore Alexandri comitum et eorum, qui Megastheni aequales Indicas res tractaverunt, iamdudum aetas oblita est.

Romani, quodcunque de India sciverunt, acceperunt a Graecis, ita ut novi fere nihil addiderint. Multas igitur narrationes quum ex ipso Megasthene, tum per alios Graecos scriptores ex eo hauserunt. *P. Terentio Varroni Atacino* in geographia conscribenda Eratosthenem potissimum auctorem fuisse non ignoramus. *M. Vipsanii Agrippae* commentarios in hac parte non satis cognitos habemus, ut iudicemus, ex quo potissimum hauserit. Sed apud *Pomponium Melam* iam multum valere videmus Megasthenis narrationes, quamvis omnes non ex ipso Megasthene, sed ex aliis exscripserit. Solus inter omnes Romanos *Seneca* de India librum conscripsit, ex quo unus qui superest locus ex Megasthene sumptus est, et eiusmodi, ut non in transitu hunc secutus videatur. (Plin. h. n. VI. 21. 5: Seneca etiam apud nos tentata Indiae commentatione sexaginta amnes eius prodidit, gentes duodeviginti centumque; cf. Megasth. ap. Arr. Ind. 5. 2, 7. 1.) Senecam *Plinius* excipit, cui in rebus Indicis enarrandis Megasthenes princeps fuit auctor. Et quamquam ex iis scriptoribus, qui sequuntur, praeter *Solinum* nullus Megasthenem laudat, tamen quum compendiorum et epitomarum scriptores prioribus utantur, Megasthenes in latinas litteras Romanamque scientiam vim aliquam habere pergit. Quae vis nondum interiit, ubi lingua latina ex vita et consuetudine communi iam abiit: pervadit medium aevum, ut etiam apud *Vincentium Belva-*

censem[72]) et *Albertum Magnum* .Megasthenis narrationes iterum apparere videamus.

Patet ex his, quae exposuimus, Megasthenem in iis, quae de India et Graeci et Romani et sciverunt et cogitaverunt, aliquantum valuisse.

72) Vincent. Belvacens. specul. hist. Nürnb. 1483. II. 44. 80. seq.

Index locorum,

qui ex Indicis Megasthenis supersint.

(LIBER I.)

Fr. VII. De gymnoto electrico.
Aelian. h. a. VIII. 7.

Fr. VIII. De Taprobane insula.
Plin. h. n. VI. 24. 1.

Fr. IX. De fluviis, qui in Gangem et Indum influunt.
Arr. Ind. 4. 2—13., Plin. h. n. VI. 22. 1., 22. 6., 23. 1., Strab. 702., Diod. II. 37.

Fr. X. De Sila fluvio.
Arr. Ind. 6. 2—3., Strab. 703., Diod. II. 37., Anecd. gr. ed. Boisson. I. p. 419.

Fr. XI. De fluminum Indicorum numero.
Arr. Ind. 5. 2. Cf. Plin. h. n. VI. 21. 5.

Fr. XII. De arboribus maritimis.
Antigon. Caryst. 147.

(LIBER II.)

Fr. XIII. De Pâṭaliputra urbe.
Strab. 702., Diod. II. 39.

Fr. XIV. De Pâṭaliputra et moribus Indorum.
Arr. Ind. 10.

Fr. XV. De moribus Indorum.
Strab. 709—711., Athen. IV. p. 153. (Cf. Aelian. v. h. IV. 1., Nicol. Damasc. 44. Westerm.)

De quibusdam bestiis.
Strab. l. l.

De gentibus fabulosis.
Strab. l. l., Plin. h. n. VII. 2. 14—22., Solin. 52. Plutarch. de facie in orbe lunae. (Opp. IX. p. 701. Reisk.).

(LIBER III.)

Fr. XVI. De septem Indorum tribubus.
Strab. 703—704., 707., Arr. Ind. 11—12., Diod. II. 41—42. (cf. Plin. h. n. VI. 22. 2—3.).

De administratione rerum publicarum.

Strab. 708—709.

De equorum usu.

Strab. 709. (Aelian. h. a. XIII. 9)

Fr. XVII. De equis et elephantis. Elephantorum venatio.

Strab. 704—705., Arr. Ind. 13—14., Diod. II. 42., Aelian. h. a. XIII. 7.

Fr. XVIII. De formicis aurum effodientibus.

Strab. 706., Arr. Ind. 15. 5—6. (Dio Chrysost. or. 35. p. 436. Morell.).

Fr. XIX. De Dionysi et Herculis cultoribus.

Strab. 711—712., Arr. Ind. 5. 9.

De Brahmanis eorumque philosophia.

Strab. 712—713., Clem. Alex. Strom. I. p. 132. Sylb., Euseb. praep. ev. IX. 9. (p. 410. D. E. ed Colon. 1688.), Cyrill. contra Iulian. IV. (Opp. ed. Paris. 1638. T. VI. p. 134. A.).

De Sarmanis, Hylobiis aliisque philosophis.

Strab. 713—714. (Clem. Alex. Strom. I. p. 131. Sylb.).

Fr. XX. De Calano et Mandani.

Strab. 718., Arr. exp. Alex. VII. 2. 5—9. (Pseudo-Origen. philosoph. in Gronov. thesauro X. p. 289. B.).

(LIBER IV.)

Fr. XXI. Indos nunquam ab aliis populis impugnatos esse, neque alios impugnasse.

Strab. XV. 686—687., Arr. Ind. 5. 4—7, 9. 10—12., Diod. II. 37., 38. (Plin. h. n. VI. 21. 4.).

Neque Nabucodrosorum in Indiam pervenisse.

Strab. l. l., Ioseph. in Apion. I. 20. (T. II. p. 451. Haverc.), Antiq. Iud. X 11. 1. (T. I. p. 538. Haverc.), Zonaras ed. Basil. 1557. T. I. p. 87., Euseb. praep. ev. IX. 41. (p. 456. D. ed. Colon. 1688.), Syncell. T. I. p. 419. ed. Bonn. (p. 221. ed. Paris., p. 177. ed. Venet.).

Fr. XXII. De populis Indicis. De Dionyso et antiquissimis Indorum regibus. De Hercule et Pandaea.

Arr. Ind. 7—8. 10., Diod. II. 38—39. (Plin. h. n. VI. 22. 6., 23. 6.).

De margaritis.

Arr. Ind. 8. 11—13.

De Hercule et antiqua Indòrum historia.

Arr. Ind. 9. 1—10., Diod. II. 39., Phlegon. mirab. 33., (Plin. h. n. VI. 21. 5., Dio Chrysost. or. 35. p. 435. Morell.) Plin. h. n. VII. 2. 22.

VITA.

Natus sum Falkenburgi, Pomeraniae ulterioris oppidulo, Idibus Novembr. anni MDCCCXXI. Ubi pater, qui Regiomonti erat a consiliis iustitiae, mihi octo annos nato praematura morte ereptus est, Tanglimiam ad patruum missus, ab eo filii loco educatus sum. Et quum progymnasii Tanglimiensis omnes classes percurrissem, gymnasio Sedinensi, mox Gryphisvaldensi in disciplinam sum traditus: ibique duo annos commoratus, disciplina usus sum Directoris Glasewaldii, Professoris Paldami, et qui etiam humanissimo quodam familiaritatis usu studiis meis consuluerunt et prospexerunt, Doctorum Cantzleri et Thomsii. Tum postquam a prima gymnasii classe propter valetudinis imbecillitatem discessi, meo ipsius studio eam litterarum partem, quae in gymnasiis doceri solet, addiscere studui. Qua re peracta, quum examen scholasticum inire ex praescripto quodam mihi nondum liceret, in universitate litteraria Gryphisvaldensi per semestre scholas audivi Schoemanni, Klausenii, Erichsonii, Bartholdii aliorumque. Deinde in examine probatus, in hanc almam litterarum sedem me contuli, et universitatis civibus pridie Idus Maias anni MDCCCXXXX. ascriptus, per tres annos et dimidium litteris Indicis, Graecis Romanisque et historiae operam dedi. Scholis interfui Argelanderi, Arndtii, Brandisii Dahlmannii, Diezii, Düntzeri, Fichtii, Freytagii, Gildemeisteri, Ritschelii, Sybelii, et quibus plurimum debeo, fere omnibus Lassenii, Loebellii, Schlegelii, Welckeri. Quibus viris omnibus pro summis in me meritis gratias quas maximas ago.

Theses controversae.

I. *Apud Indos praecipue propter tribuum constitutionem vera historia oriri non potuit.*

II. *Non recte in exploranda pronuntatione graeca negliguntur sanscritae voces graece expressae.*

III. *Graeci vehementer errabant, quum principia agriculturae, navigationis, deorum cultus, aliarumque rerum ad humanitatem pertinentium putarent sese in Graecia invenisse.*

IV. *Bestiarum usus et contemplatio, cui non paullum antiquissimis temporibus homines debent, ad ingenium sensumque Graecorum multo plus quam Romanorum valuit.*

V. *Deest vocabulis, quo serius ab altera lingua ex altera recipiuntur, eo magis facultas et permanendi et alias voces ex sese procreandi.*

VI. *Falsum est id, quod de Ctesiae fide in rebus Indicis vulgo iudicatur.*

VII. *Terentius ex Diphilo vertit has partes Adelphon: II. 1—II. 2. 44, II. 4. 1—2, 4. 14—16; ex Menandro reliquas.*

VIII. *Litterae phoeniciae s. latinae non aptae sunt linguae germanicae: cui, qualis nunc est, exceptis diphthongis conveniunt hae litterae:*

Vocales:	*a.*	*e.*		*i.*	*o.*	*u.*
	â.	*ê.*	*ê'.*	*î.*	*ô.*	*û.*
	ä.				*ö.*	*ü.*
	ǟ.				*ȫ.*	*ǖ.*
Semivoc.:				*j.*		*w.*
Vibrantes:				*r.*		*l.*
Nasales:	*n.*			*n'.*	*m.*	

Spirantes:	*h'.*	*ch'.*	*h.*	*ch.*
Gutturales:	*k.*		*g.*	
Dentales:	*t.*		*d.*	
Labiales:	*p.*	*f.*	*b.*	*(w.)*
Sibilantes:	*ç.*	*s'.*	*s.*	